




TERENTIUS
A
MURETO
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
RACCOLTA NENCINI
ALDINI
II
4
10














BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
ALDINI
II
4
10
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini
1874


LE CENTRALE · FIRENZE
DINI
A NENCINI







P. TERENTIVS AFER

A. M. ANTONIO. MVRETO EMENDATVS

EIVSDEM · MVRETI · ARGVMENTA ET · SCHOLIA IN · SINGVLAS · COMOEDIAS





VENETIIS. ∞ DLXXV

Apud Aldum.

MAXIMILIANI . II

EX . PRIVILEGIO



IMP . CAES . AVG.

Editio Aldi Manutij
Paulli F. Aldi N.

M . ANTONIVS . MVRETVS
IACOBO . SVRIANO
PATRICIO . VENETO
S . D.



QVIDNAM esse caussae dicemus, Iacobe Suriane, cur, cum omnium uoluntas, ipsa duce atque impellente natura, dirigatur ad bonum, tam pauci tamen ex hominibus ea, quae uere bona sunt, consequantur? tibi quidem in primis facile id ad explicandum fuerit; qui cum ceterarum artium scientia perpolitus es, tum in philosophiae studio ita excellis, ut cetera quidem tibi communia cum multis, huius tua quodam modo propria possessio uideatur. sed tamen, quia nos quoque neque umquam alieni a philosophia fuimus, & nunc maxime, uel uoluntate nostra, uel rebus ita ferentibus, philosophamur, quae nobis, hac de re cogitantibus, ueniebant in mentem, ea breuiter hoc loco, & strictim aperiemus. Quoniam igitur, quae naturalia sunt, in toto genere sunt; & haec boni appetitio naturalis est: fit, nullius ut hominis ita sit

deprauatus animus, quin uel ad id, quod bonum est, uel ad id, quod ipse bonum putat, consilia, cogitationesque omnes dirigat suas. quibus autem impediuntur plerique a magnarum praeclararumq. rerum adeptione, ea quattuor fere esse animaduerto. alij enim iudicio labuntur, idq. dupliciter; ut aut, prauis opinionibus impediti, praetermissis rebus uere bonis, inanes quasdam, minusque fructuosas amplexentur; aut, cum recte statuerint, quid sequi debeant, alijs tamen id, quam quibus oportet, quaerere insistant uijs: alij constantiam, perseuerantiamq. non retinent; sed cum & ad ea, quae bona sunt, initio animum adiecerint, & eas ingressi sint uias, quae, quo ipsi tendunt, ferant; postea tamen, uel difficultate rerum deterriti, uel sua leuitate distracti, conuertuntur alio, & uel ignauiae sese dant, uel certe urgere id, quod principio sibi proposuerant, desinunt: alij denique, cum & uere iudicent, & satis constanter in eo, quod instituere, pertendant, uirium tamen imbecillitate & inopia, consequi ea, quae uolunt, non queunt. harum omnium rerum grauiora exempla ex omnibus uitae partibus sume

re eſt : ſed ego nunc illud exponam,quod me hoc tempore in hanc cogitationem deduxit ; ut in eo explicando,ad id,quod mihi proprie propoſitum eſt , mea paullatim delabatur oratio . cum enim mecum Suriane in animo reputo , qui fiat , ut hac tempeſtate tam pauci ſint, in quorum aut ſermone , aut ſcriptis liceat imaginem aliquam antiquae illius Romanae orationis agnoſcere ; reperio huic quoque malo eas , quas ante dixi , ſubeſſe cauſſas . Primum ita agreſti aliquot ingenio reperias, ut , quae in facienda , excolendaq. oratione ſumitur,omnem perire operam putent : alios , qui , quamuis in ornate loquendi ratione ſtudium ponendum non negent ; non in Latina id tamen, Graecaue lingua, ſed in ea , qua uulgo utimur , fieri cenſeant oportere . atque illos quidem merito poſſit quilibet,ut amentes aliquos, ſtupidosque, contemnere : horum uero peruerſa opinio ita iam per omnem Italiam peruagata , quaſiq. proſeminata eſt , ut innumerabiles praeclaro iuuenes ingenio a ſtudio earum linguarum , quibus omnis humanitas , omnis doctrina elegans,omnis antiquitatis memoria continetur , abduxerit ; periculumq. porro

ſit, ne, ſi hoc malum radices agat, quae ſemper propria Italorum laus fuit, ut ſoli ex omnibus Latina oratione perite ac ſcienter uterentur, eam qui ſuſtineant, non multi in Italia reperiantur. Alterum uitium eſt, quo tranſalpini multi (fatendum enim eſt) laboramus: quod, cum in Latini ſermonis elegantia excellere pulchrum putemus, non tamen fere callemus, quo ad eam itinere contendere oporteat: itaque de noſtris pauciores adhuc, quam uellem, exſtiterunt, qui ſe ad Ciceronis, Terentij, Caeſaris imitationem componerent. peruolutabant ſine ullo diſcrimine omnes omnium ſcriptorum libros, & ex omnium commixtione uarium quoddam & multiforme pro ſuo quiſque ingenio dicendi genus effingebant: pulchriq. ſibi ac beati uidebantur, ſi eam conſequerentur facultatem, ut de rebus propoſitis uerba fundere, animiq. ſui ſenſus qualicumque orationis genere ad alios perferre poſſent. ergo in Gallia, Germaniaque, qui celeriter & expedite Latine loquerentur, (ſi hoc modo eſt Latine loqui) quamlibet multos; qui bene, ac diſerte, uix unum, aut alterum, haud ita pridem reperire potuiſſes. Nam

illud

illud quoque, quod tertio loco posui, nostrum non paucis impedimento est. Semel rectam uiam ingressi, uel relangue scimus, uel, mutabilitate quadam, mini mis plerumque momentis ab ea deduci mur. Indecorum esset, de me ipso prae dicare me: sed hoc sine ulla uanitate affir mare possum; quo minus aliquam loquen di scribendiq. facultatem consequerer, ho rum mihi trium nihil obstitisse. semper La tini sermonis integritatem magnum quod dam & praeclarum bonum esse duxi: sem per eam ex illorum, quos supra nomina ui, eisq. finitimorum scriptis, uelut e pu rissimis fontibus, hauriendam sum ratus: neque me uel debilitauit laboris metus, uel a suscepto studio ingenij mobilitas a uocauit. uires mihi, ne id, ad quod toto pectore ferebar, consequerer, defuerunt. quod potui, in eo me continui, ut illo rum, qui hac laude floruerant, libros di ligenter euoluerem: quo uirtutes illorum aliqua ex parte, si minus exprimere imi tando, at certe intelligendo consequi, & commonstrare olim adolescentibus me liori natis ingenio possem. ac, quoniam Ciceronem summo tot aetatum consen su primas sine controuersia tenere, ab i-

pſo autem Cicerone Terentium ut optimum Latinitatis auctorem citari uidebam, incredibile ſtudium in eius poetae fabulis collocaui, ut etiam crebro repetita lectione, ad uerbum ediſcerem. nuper igitur, cùm eas Paullus Manutius, uir eruditiſſimus, & in hac Latinè loquendi facultate omnium iudicio ſingularis, denuo typis ſuis deſcriptas emittere pararet; egit mecum pro familiaritate noſtra, ut eas accurate recognoſcerem, adhibitisq. ueteribus libris, iudicioq. etiam meo, perpurgarem ab iis mendis, quibus illas aliorum quorundam negligentia, inſcitia, audacia contaminaſſet. feci libens; tùm ut obtemperarem auctoritati hominis de me optime meriti; tum ut aliquid nauarem aſſidue, quo ſtudioſorum labor minueretur. non auderem hoc dicere, niſi mihi conſcius eſſem, uera me loqui. tantum effeci, quantum ſi alius poſt me quiſpiam effecerit; erit, cur ſibi ſerio, qui huius poetae ſtudioſi ſunt, gratulentur. Hunc meum laborem ad te potiſſimum, Iacobe Suriane, mitto, tibiq. dedico, tum eximia tua praeſtantiq. uirtute atq. eruditione commotus, tum, quoniam, ex quo in hac urbe ueterum ſcripta interpretari, conſtitu-

to

to mihi publice ſtipendio, coepi, tota me ueſtra domus admirabili quodam amoris ardore complexa eſt. erit autem hoc munus tibi fortaſſe minus utile, qui iamdudum in philoſophiae penetralia receptus, non ita ſaepe demittis animum ad haec leuioris operae ſtudia: Hermolao quidem, & Georgio, fratribus tuis, modeſtiſſimis, ſtudioſiſſimisq. adoleſcentibus, non inutile fore confido. Vale.

TERENTII · VITA
ET . DE . TRAGOEDIA
AC . COMOEDIA
NON · PAVCA

ex Aelio Donato, & alijs.

PVBLIVS *Terentius Afer, Carthagine natus, seruiuit Romae Terentio Lucano senatori: a quo ob ingenium, & formam non institutus modo liberaliter, sed & mature manumissus · quidam captum esse existimant · quod fieri nullo modo potuisse, Fenestella docet, cum in fine secundi belli Punici, et ante initium tertij natus sit, & mortuus; nec, si a Numidis, aut Getulis captus sit, ad ducem Romanum peruenire potuisse, nullo commercio inter Italicos & Afros, nisi post deletam Carthaginem, coepto · hic cum multis nobilibus familiariter uixit, sed maxime cum Scipione Africano, & cum Laelio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur · quod & ipsum Fenestella arguit, contendens utroque maiorem natu fuisse · quamuis Cornelius Nepos aequales omnes fuisse tradit, & Porcius suspicionem de consuetudine per haec faciat:*

Dum lasciuiam nobilium & fucosas laudes petit;
Dum Africani uocẽ diuinã inhiat auidis auribus;
Dum ad Furium se cenitare, & Laelium, pul-

chrum

chrum putat;

Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi

Ob florem aetatis suae; ad summam inopiam redactus est.

Itaque e conspectu omnium abijt Graeciam in terram ultimam:

Mortuus est in Stymphalo Arcadiae oppido. nil Publius

Scipio profuit, nihil ei Laelius, nil Furius,

Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.

Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam;

Saltem ut esset, quo referret obitum domini seruulus.

Scripsit comoedias sex: ex quibus primam Andriam cum aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare, ad cenantem cum uenisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contemptiore uestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse; post paucos uero uersus, inuitatus ut accumberet, cenasse una; deinde cetera percurrisse non sine magna Caecilij admiratione. & hanc autem, & quinque reliquas aequaliter populo probauit. quamuis Volcatius de enumeratione omnium ita scribit:

Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.

Eunuchus quidem bis acta est, meruitq. pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est, octo millia nummum: propterea summa quoque titulo adscribitur. nam Adelphorum principium

Varro etiam praefert principio Menandri. Non obſcura fama eſt, adiutum Terentium in ſcriptis a Laelio, & Scipione: quibuſcum familiariter uixit. eandē ipſe auxit. numquam enim, niſi leuiter, ſe tutari conatur, ut in prologo Adelphorum.

Nam quod iſti dicunt maleuoli, homines nobiles
Hunc adiutare, aſſidueq. una ſcribere:
Quod illi maledictum uehemens exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maxumam: cum illis placet,
Qui uobis uniuerſis, & populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſq. tempore uſuſt ſine ſuperbia.

Videtur autem ſe leuius defendiſſe, quia ſciebat, Laelio & Scipioni non ingratam eſſe hanc opinionem: quae tamen magis, & uſque ad poſteriora tempora ualuit. Q. Memmius in oratione pro ſe ait: P. Africanus, qui a Terentio perſonam mutuatus, quae domi luſerat ipſe, nomine illius in ſcenam detulit. Nepos auctore certo comperiſſe ſe ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kal. Martij, admonitum ab uxore, temporius ut diſcumberet, petijſſe ab ea, ne interpellaretur: ſerius tandē ingreſſum triclinium, dixiſſe, non ſaepe in ſcribendo magis ſucceſſiſſe ſibi: deinde rogatum ut ſcripta illa proferret, pronunciaſſe uerſus, qui ſunt in Heauton timorumeno,

Satis pol proterue me Syri promiſſa huc induxerūt.

Santra Terentium exiſtimat, ſi modo in ſcribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuiſſe, qui tunc adoleſcentuli fuere, quam Sulpicio Gallo, homine docto, et qui conſularibus ludis

initium

initium fecerit fabularum dandarum; uel Q. Fabio Labeone, & M. Popillio, cõsulari utroque, ac poeta: ideo ipsum nõ iuuenes designasse, qui se adiuuisse dicerentur; sed uiros, quorum operam & in bello, & in otio & in negotio populus sit expertus. Post editas comoedias nondum quinctum atque trigesimum egressus annum, caussa euitandae opinionis, quia uidebatur aliena pro suis edere; seu percipiendi Graecorum instituta, moresque quos perinde exprimeret in scriptis; egressus urbe est, neque amplius rediit. de morte eius Volcatius tradit.

Sed ut Afer sex populo edidit comoedias,
Iter hinc in Asiam fecit: nauim cum semel
Conscendit, uisus numquam est. sic uita uacat.

Q. Consetius redeuntem Graecia periisse in mari dicit cum centum & octo fabulis conuersis a Menandro. ceteri, mortuum esse in Arcadiae Stymphalo, tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fuluio Nobiliore cos. morbo implicitum acri, dolore ac taedio amissarum fabularum, quas in naui praemiserat, ac simul fabularum, quas nouas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. reliquit filiam, quae equiti R. nupsit; item hortulos XX iugerum, uia Appia ad Martis uillam. quo magis miror Porcium scribere:

– nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nil Furius,
Tres per idẽ tẽpus qui agitabãt nobiles facillime.
Eorũ ille opera ne domũ quidẽ habuit conducticiã:
Saltẽ ut esset, quo referret obitũ domini seruulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis praefert,

ſcribens in Compitalibus:
Terentio non ſimilem dices quempiam.
Volcatius autem non ſolum Naeuio, & Plauto, & Caecilio, ſed Licinio quoque poſtponit. Cicero in Limone hactenus laudat:
Tu quoque, qui ſolus lecto ſermone Terenti
Conuerſum expreſſumq. Latina uoce Menandrum,
In medio populi ſedatis uocibus effers,
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.
Item C. Caeſar:
Tu quoque, tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri ſermonis amator.
Lenibus atque utinam ſcriptis adiuncta foret uis
Comica, ut aequato uirtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac deſpectus parte iaceres.
Vnum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe, Terenti.
Haec Suetonius Tranquillus. nam duos Terentios poetas fuiſſe ſcribit Mettius: quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidiſſe Terentium, Valgius in Actaeone ait:
Hae quae uocantur fabulae, cuius* ſunt?
Non has, qui iura populis recenſentibus dabat
Honore ſummo affectus, fecit fabulas?
Duae ab Apollodoro tranſlatae eſſe dicuntur comico, Phormio, & Hecyra; quattuor reliquae a Menandro: ex quibus magno ſucceſſu, & pretio ſtetit Eunuchus; Hecyra ſaepe excluſa, uix acta eſt.

I NITIVM tragoediae & comoediae a rebus diuinis est inchoatum: quibus pro fructibus uota soluentes, operabantur antiqui. nam incensis iam altaribus, & admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, tragoedia dicebatur: uel ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc est ab hirco, hoste uinearum, & a cantilena: (eius ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio) uel quod hirco donabatur eius carminis poeta: uel quod uter eius musti plenus sollemne praemium cantoribus fuerat: uel quod ora sua faecibus perlinebant scenici ante usum personarum ab Aeschylo repertum: faeces enim dicũtur graece τρύγες. & his quidem caussis tragoediae nomen est inuentum. At uero, nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum Apollini Nomio, idest, pastorum uicinorumq. praesidi deo, constructis aris, in honorem diuinae rei circum Atticae uicos, uillas, pagos, & compita festum carmen sollemniter cantarent: orta est comoedia ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν; quod est, comessatum ire cantantes. quod a poetis sollemni die, uel amatorie lasciuientibus choris comicis non absurdum est. itaque ut rerum, ita etiam temporum ipsorum coepto ordine tragoedia primo prolata esse cognoscitur. nam ut ab incultis & feris moribus paullatim peruentum est ad mansuetudinem, urbesq. sunt conditae, & uita mitior atque otiosior processit: ita res tragicae longe ante comicas inuentae. quamuis autem retro prisca uoluentibus reperiatur Thespis tragoediae primus inuentor; & comoediae ueteris pater Eupolis, cum

Cratino,

Cratino, Aristophaneq. esse dicatur: Homerus tamen, qui fere omnis poeticae largissimus fons est, etiam his carminibus exempla praebuit, & uelut quadam suorum operum lege praescripsit: qui Iliadem instar tragoediae, Odysseam ad imaginem comoediae fecisse monstratur: nam post illius tale, tantumq. documentum, ab ingeniosissimis imitatoribus & digesta in ordinem, et diuisa sunt ea, quae etiam tum temere scribebantur adhuc impolita, atque in ipsis rudimentis haudquaquam, ut postea facta sunt, decora, atque leuia. at nos ea, quae proprie de tragoedia dicenda sunt, titulo propositi operis instantes in alia tempora differamus, & de his fabulis iam loquamur, quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandae originis caussa de utriusque generis initio diximus; quod necesse est, iam dicemus. Comoedia fere uetus, ut ipsa quoque olim tragoedia, simplex carmen, quemadmodum iam diximus, fuit: quod chorus circa aras fumantes, nunc spatiatus, nunc reuoluens gyros, cum tibicine concinebat. sed primo una persona substituta est cantoribus: quae respondens alternis choro, locupletauit, uariauitq. rem musicam: tum altera, tum tertia: & ad postremum crescente numero, per auctores diuersos personae, pallae, cothurni, socci, & ceteri ornatus, atque insignia scenicorum reperta, & ad hoc unicuique suus habitus: & ad ultimum, qui primarum partium, qui secundarum, & tertiarum, qui quartarum, atque quinctarum actores essent, distributa & diuisa quinquepartito tota est fabula, quae tamen in ipsis

ortus ſui uelut quibuſdam incunabulis, et uix dum incipiens, κωμῳδία dicta eſt ἀρχαία; iccirco quia nobis parum cognitis initijs nata eſt; aut quia ineſt in ea uelut hiſtorica fides uerae narrationis, & denominatio omnium, de quibus libere deſcribebatur. etenim per priſcos poetas, non, ut nunc, penitus ficta argumenta, ſed res geſtae a ciuibus, palam cum eorum ſaepe, qui geſſerant, nomine decantabantur. ideo ipſa ſuo tempore moribus multum profuit ciuitatis; cum unuſquiſque caueret culpa, ne ſpectaculo ceteris eſſet, & domeſtico probro. ſed cum poetae abuti licentius ſtylo, & paſſim laedere ex libidine coepiſſent plures bonos; ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata, ſiluere. & hinc deinde aliud genus fabulae, id eſt ſatyra, ſumpſit exordium: quae a ſatyris, quos illotos ſemper ac petulantes deos ſcimus eſſe, uocitata eſt. etſi aliunde nomen traxiſſe praue putant alij. haec, quae ſatyra dicitur, eiuſmodi fuit, ut in ea, quamuis duro & ueluti agreſti modo, de uitijs ciuium, tamen ſine ullo proprij nominis titulo carmen eſſet. quod item genus comoediae multis obſuit poetis; cum in ſuſpicionem potentibus ciuibus ueniſſent, illorum facta deſcripſiſſe in peius, ac deformaſſe genus ſtylo carminis. quod primo Lucilius nouo conſcripſit modo, ut poeſim inde faceret, ideſt, unius carminis plures libros. hoc igitur, quo ſupra diximus, modo coacti omittere ſatyram, aliud genus carminis, τὴν νέαν κωμῳδίαν, hoc eſt, nouam comoediam, reperere poetae; quae argumento communi magis, & generaliter ad

omnes

omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret, & minus amaritudinis ſpectatoribus, & eadem opera multum delectationis afferret, concinna argumento, conſuetudine congrua, utilis ſententijs, grata ſalibus, apta metro. ut igitur ſuperiores illae ſuis quaeque celebrãtur auctoribus, ita haec νέα κωμῳδία cum multorũ ante, ac poſtea, tum praecipue Menandri Terentijq. eſt. de qua cũ multa dicenda ſint; ſat erit tamen, uelut admonendi lectoris cauſſa, quod de arte comica ueterum chartis continetur, exponere. Comoedia uetus ut ab initio chorus fuit, paullatimq. perſonarum numero in quinque actus proceſſit; ita paullatim, uelut attrito atque extenuato choro, ad nouam comoediam ſic peruenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, ſed ne locus quidem ullus iam relinquatur choro. nam poſtquam otioſo tempore faſtidioſior ſpectator effectus, tunc cum ad cantores ab actoribus fabula tranſibat, conſurgere, & abire coepiſſet; admonuit poetas primo quidam choros praetermittere, locum eius relinquentes, ut Menander fecit, hac de cauſſa, non, ut alij exiſtimant, alia. poſtremo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt comici: unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile eſt. tũ etiam Graeci prologos non habent more noſtrorũ, quos Latini habent. deinde θεὺς ἀπὸ μηχανῆς, id eſt deos argumentis narrandis machinatos, ceteri Latini inſtar Graecorum habent, Terentius non habet. ad hoc προτατικὰ πρόσωπα, id eſt, perſonas extra argumentum accerſitas, non facile ceteri ha-

bent: quibus Terentius saepe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres etsi ipsi quoque in metris negligentius egerunt iambici uersus dumtaxat in secundo & quarto loco, tamen a Terentio uincuntur resolutione huius metri, quantum potest comminuti ad imaginem prorsae orationis. tum personarum leges circa habitum, aetatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio custodiuit. quin etiam solus ausus est in fictis argumentis, cum fidem ueritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere; quibus tamen, cur bonae sint, & uoluntas per ipsum, & caussa non desit. haec cum artificiosissime Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod & morem retinuit, ut comoediam scriberet, & temperauit affectum, ne in tragoediam transiliret. quod cum alijs rebus minime obtentum & a Plauto, & ab Afranio, & Attio, & multis fere magnis comicis inuenimus. Illud quoque inter Terentianas uirtutes mirabile, quod eius fabulae eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abijciantur ad histrionicam. adde, quod nihil abstrusum ab eo ponitur, aut quod ab historicis requirendum sit: quod saepius Plautus facit, & eo est obscurior in pluribus locis. adde, quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam non cauerit, aut curauerit ea, quae obesse potuerunt: tum, quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum, & uno corpore uideatur es-

se

se compositum. illud quoque mirabile in eo: primo, quod non ita miscet personas quattuor, ut obscura sit earum distinctio, & item, quod nihil ad populum facit actorem uelut ex tragoedia loqui. quod uitium Plauti frequentissimum est. illud etiam inter cetera eius laude dignum uidetur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. nam excepta Hecyra, in qua scribit Pamphili amorem, ceterae quinque binos adolescentulos habent. Illud uero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν, Latinos multa fabularum genera protulisse: ut Togatas a scenicis, atque argumentis Latinis; Praetextatas ab dignitate personarum, & Latina historia; Attellanas a ciuitate Campaniae, ubi actitatae sunt plurimae; Rhyntonicas ab actoris nomine; Tabernarias ab humilitate argumenti, & styli; Mimos ab diuturna imitatione uilium rerum, & leuium personarum. Inter tragoediam autem, & comoediam cum multa, tum in primis hoc distat, quod in comoedia mediocris fortunae hominum parui impetus, periculaq. laetiq. sunt exitus actionum: at in tragoedia omnia contraria, ingentes personae, magni timores, exitus funesti habentur. & illic turbulenta prima, tranquilla ultima, in tragoedia contrario ordine res aguntur: tum quod in tragoedia fugienda uita, in comoedia capessenda exprimitur: postremo quod omnis comoedia de fictis est argumentis, tragoedia saepe de historica fide petitur.

LATINAE fabulae primo a Liuio Andronico scriptae sunt ad cunctas res, etiam cum recentius idem poeta et actor fabularũ suarum fuisset. Comoediae autem aut motoriae sunt, aut statariae, aut mixtae. motoriae, turbulentae; statariae, quietiores; mixtae, ex utroque consistentes. Comoedia per quattuor partes diuiditur, Prologũ, Protasin, Epitasin, Catastrophen. Prologus est uelut praefatio quaedam fabulae, in quo solo licet praeter argumẽtũ aliquid ad populũ uel ex poetae, uel ex ipsius fabulae, uel ex actoris commodo loqui. Protasis primus est actus, initiumq. dramatis. Epitasis, incrementũ, processusq. turbarum, ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe, conuersio rerum est ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. Comoedia est fabula, diuersa instituta continẽs affectuum ciuilium, ac priuatarum rerũ: qua discitur, quid sit in uita utile, quid contra euitandũ. hãc Graeci sic definiere:* Κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν, καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. *Comoediã esse Cicero ait imitationẽ uitae, speculum consuetudinis, imaginem ueritatis. Comoediae autẽ a more antiquo dictae, quia in uicis huiusmodi carmina initio agebantur apud Graecos, ut in Italia cõpitaliciis ludicris admixto pronunciationis modulo: quo, dum actus cõmutantur, populus detinebatur: aut* ἀπὸ τῶν κωμῶν, *hoc est, ab actu uitae hominũ, qui in uicis habitabãt ob mediocritatẽ fortunarũ, non in aulis regiis, ut sunt personae tragicae. Comoedia uero, quia poema sub imitatione uitae atq. similitudine cõpositũ est, in gestu et pronunciatione cõsistit.*

COMOE-

COMOEDIAM apud Graecos dubium est quis inuenerit primus: apud Latinos, certum est, & comoediam togatam, & tragoediam primo Liuium Andronicum reperisse: * qui ait, comoediam esse quotidianae uitae speculum: nec iniuria. nam ut, intenti speculo, ueritatis lineamenta facile per imagines colligimus; ita lectione comoediae imitationem uitae, consuetudinisq. non aegerrime animaduertimus. huius autem originis ratio ab exteris ciuitatibus, moribusq. prouenit. Athenienses namque, Atticam custodientes elegantiam, cum uellent male uiuentes notare, in uicos & compita ex omnibus locis laeti, alacresq. ueniebant, ibiq. cum nominibus singulorum uitam publicabant, unde nomen compositum ut comoedia uocaretur. haec autem carmina primitus in pratis mollibus agebantur. nec deerant praemia, quibus ad scribendum doctorum prouocarentur ingenia. sed & actoribus munera offerebantur, quo libentius iucundo uocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. caper namque pro dono his dabatur, quia uitibus noxium animal habebatur, a quo etiam tragoediae nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca, olei faece, tragoediam dici, uocariq. maluerunt. qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi comoediarum, tragoediarumq. scriptores huius dei uelut praesens numen colere uenerariq. coeperunt. cuius rei probabilis ratio exstitit. ita enim carmina inchoata praeferebantur, ut per ea laudes eius, & facta gloriosa celebrari,

pro-

proferriq. constaret. tum paullatim fama huius artis increbuit. Thespis autem primus haec scripta in omnium notitiam protulit. postea Aeschylus secutus exemplum publicauit. de quibus ita Horatius in Arte poetica loquitur:

Ignotum tragicae genus inuenisse camoenae
Dicitur, & plaustris uexisse poemata Thespis,
Quae canerent, agerentq. peruncti faecibus ora.
Post hunc personae, pallaeq. repertor honestae
Aeschylus & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnumq. loqui, nitiq. cothurno.
Successit uetus his comoedia, non sine multa
Laude: sed in uitium libertas excidit, & uim
Dignam lege regi. lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetae:
Nec minimum meruere decus, uestigia Graeca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta,
Vel praetextatas, uel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est. eius duae primae partes sunt, tragoedia, & comoedia. si Latina argumentatio sit, praetextata dicitur. Comoedia autem multas species habet. aut enim Palliata est, aut Togata, aut Tabernaria, aut Attellana, aut Mimus, aut Rhyntonica, aut Planipedia. Planipedia autem dicta ob humilitatem argumenti eius, ac uilitatem actorum: qui non cothurno, aut socco utuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: uel ideo, quod non ea negotia continet, quae personarum in turribus aut in cenaculis habitantium sunt, sed in plano & humili loco:

Perso-

Personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius, & Faliscus. tragoediam Minucius, & Prothonius. Omnium autem comoediarum scripta ex quattuor rebus omnino sumuntur, nomine, loco, facto, euentu: nomine, ut Phormio, Hecyra, Curculio, Epidicus; loco, ut Andria, Leucadia, Brundisina; facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captiui; euentu, ut Commorientes, Crimen, Heauton timorumenos. Comoediarum formae sunt tres: Palliatae, Graecum habitum referentes; quas non nulli tabernarias uocant: Togatae, iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes: Attellanae, salibus & iocis compositae; quae in se nō habent nisi uenustam elegantiam. Comoedia autem diuiditur in quattuor partes, Prologum, Protasin, Epitasin, Catastrophen. Prologus est prima dictio a Graecis dicta πρόλογος, *idest antecedens ueram fabulae compositionem elocutio. eius species quattuor sunt:* συςατικὸς, *commendaticius; quo fabula, uel poeta commendatur:* ἀναφορικὸς, *relatiuus; quo aut aduersario maledicta, aut gratiae populo referuntur:* ὑποθετικὸς, *argumentatiuus, fabulae argumentum exponens:* μικτὸς, *mixtus, omnia haec in se continens. Inter prologum, & prologium quidam hoc interesse uoluerunt: quia prologus est ubi poeta excusatur, aut fabula commendatur; prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus fabulae, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam. Epitasis inuolutio argumenti, cuius elegantia*

conne-

connectitur. Cataſtrophe explicatio fabulae, per quam euentus eius approbatur. In pleriſque fabulis ipſarum nomina priora ponebantur, quam poetarum; in non nullis poetarum, quam fabularum. cuius moris diuerſitatem antiquitas probat. nam, cum primum aliqui fabulas ederent, ipſarum nomina pronunciabantur ante, quam poetae pronunciarentur, ne aliqua inuidia a ſcribendo deterreri poſſent. cum autem per editionem multarum poetae iam eſſet auctoritas acquiſita; rurſus priora poetarum nomina proferebantur, ut per ipſorum uocabula fabulis attentio acquireretur. Actas diuerſis ludis manifeſtum eſt inſcribi. nam ludorum quattuor ſunt ſpecies, quos curules aediles munere publico curant: Megalenſes, magnis dijs conſecrati, quos Graeci μεγάλους σιοὺς *appellant; Funebres, ad retinendum populum inſtituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricij uiri plene inſtruitur; Plebeij, qui pro ſalute plebis eduntur; Apollinares, Apollini conſecrati. In ſcena duae arae poni ſolebant, dextera Liberi, ſiniſtra eius Dei, cui ludi fiebant. unde Terentius in Andria ait, Ex ara hinc ſume uerbenas.* * multa deſunt.

hinc Vlyſſem palliatum ſemper inducunt: ſiue quod aliquando inſaniam ſimulauit, quo tempore tectum ſe eſſe uoluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire: ſeu ob ſingularem ſapientiam, qua tectus, munitusq. plurimum ſocijs profuit. huius enim uirtutis erat, animi ſemper decipientis ingenium. non nulli Ithacae incolas, ſicut Lo-

cros,

cros, palliatos fuiſſe commemorant. Achillis, & Neoptolemi perſonae diademata habent, quamuis regalia ſceptra numquam tenuerint. cuius argumenti probatio talis inducitur, quod numquam cum reliqua Graeciae iuuentute ad gerenda cum Troianis bella ſacramenta coniurationis inierunt, nec umquam ſub Agamemnonis imperio fuerunt. Comicis ſenibus candidus ueſtitus inducitur, quod is antiquiſſimus fuiſſe memoratur. adoleſcentibus diſcolor attribuitur. ſerui comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquae gratia, uel quo expeditiores agant. paraſiti cum intortis pallijs eueniunt. laeto ueſtitus candidus, aerumnoſo obſoletus. purpureus diuiti, pauperi phoeniceus datur. militi chlamys purpurea, puellae habitus peregrinus inducitur. leno pallio uarij coloris utitur. meretrici ob auaritiam luteum datur. Syrmata dicta ſunt, ab eo, quod trahuntur: quae res ab ſcenica luxuria inſtituta eſt. eadem in luctuoſis perſonis incuriam ſui per negligentiam ſignificant. Aulaea quoque in ſcena in terra ſternuntur, quod pictus ornatus erat, ex Attalica regia Romam uſque perlatus: pro quibus ſiparia aetas poſterior accepit. eſt autem minutum uelum, quod populo obſiſtit, dum fabularum actus commutantur. Diuerbia hiſtriones pronunciabant. cantica uero temperabantur modis, non a poeta, ſed a perito artis muſicae factis. neque enim omnia ijſdem modis in uno cantico agebantur, ſed ſaepe mutatis, ut ſignificant qui tres numeros in comoedijs ponuut: qui tres continent mutatos modos cantici illius.

illius. qui huiusmodi modos faciebant, nomen in principio fabulae & scriptoris, & actoris superponebant. huiusmodi adeo carmina ad tibias fiebant; ut, his auditis, multi ex populo ante dicerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronunciaretur. Agebantur autem tibijs paribus aut imparibus; & dextris, aut sinistris. dextrae autem tibiae sua grauitate seriam comoediae dictionem praenunciabant: sinistrae & Sarranae acuminis leuitate iocum in comoedia ostendebant. ubi autem dextra & sinistra acta fabula inscribebatur: mixtim ioci & grauitates denunciabantur.

DE . TIBIIS COMMENTARIVS

ALDI · MANVTII PAVLLI · F · ALDI · N.

Ad Bartholomaeum Capram, Ioannis Francisci F. Iurisconsultum

Mediolanum ·





DEXTRAE tibiae erant, quae dextra hiſtriones ſpectabant, ſiniſtra ſcilicet ſpectatores. Siniſtrae contra, quae ſiniſtra hiſtriones, dextra ſpectatores. Opinor autem, ſiniſtras grauem ſonum reddidiſſe, dextras acutum. ſiniſtrae enim ex ea arundinis parte fiebant, quae proxima terrae naſcitur; quae cum craſſior ſit, & foramen latius habeat, quam quae longinquior a radice eſt, grauiorem ſonum reddat, neceſſe eſt. dextrae autem ex inferiore arundinis parte fiebant. teſtis Plinius lib. XVI. in extremo capite *36*. his uerbis: Sed tum ex ſua quamque tantum arundine congruere perſuaſum erat: & eam, quae radicem anteceſſerat, laeuae tibiae conuenire; quae cacumen, dextrae. Hinc legas, Acta eſt tibijs dextris, & ſiniſtris, ideſt ſono acuto, & graui, tibijs utrimque conſtitutis. Vbi autem legitur, Paribus dextris, & ſiniſtris, Sarranas ſignificat, dextrorſum ſiniſtrorſumq. poſitas, quae Pares uocabantur, quod foraminis cauerna, ut ait Seruius, par erat; ideoq. ſonum parem reddebant; ut Phrygiae impares,

quod cauernam imparem habebant, ex quo ſonum reddebant imparem, acutum ſcilicet partim, & partim grauem. Ex quo Seruius interpretans illud Virgilij lib. IX.

O uere Phrygiae, (neque enim Phryges) ite per alta
Dyndyma, ubi aſſuetis biforem dat Tibia cantum:

explanat, Biforem, diſſonum, imparem, & diſſimilem, iuxta Phrygiarum tibiarum naturam, quae hoc a Sarranis diſtabant, quod, ut ait Seruius, cauernam foraminis imparem habebant; ut Phrygiae diſta bant, quod dextrae unicum foramen habebant, ut ſonitu uniformi ſonarent; ſiniſtrae uero, duo; quorum unum grauem, alterum acutum ſonum reddebant. Quod uero dextrae tibiae acutum, ſiniſtrae gra uem ſonum reddiderint, praeter Plinij, Varronis quoque teſtimonium exſtat, de re ruſt. lib. I. cap. 2. quo loco ait, Tibias dextras, & ſiniſtras, cum uno eodemq. tempore ſonarent, ut hiſtrionum uocem ſequerentur, alteram incentiuam, alteram ſuccentiuam fuiſſe. Quod autem ubi Incentiuam nominat, dextram ſignificet;

ubi

ubi Succentiuam, ſiniſtram; nihil dubito. ſubiungit enim: Agricultura ſuccinit paſtorali, quod eſt inferior, ut tibia ſiniſtra dextrae foraminibus. Cum igitur ſiniſtra ſuccentiua ſit, grauis ſonus erit; dextrae autem acutus, quoniam incentiua, ſiniſtraeq. foraminibus ſuperior, cum maiorem foraminis numerum habeat ſiniſtra, cui, ut grauiter ſonet, pauca foramina ſufficiunt. Quo loco uero dicit, Tibijs Sarrannis, idem eſt, ac ſi dicas, Paribus: cauernam enim parem habebant, ex quo parem quoque ſonum reddebant. Et, quoniam eruditi quidam Artis Muſicae ſcriptores, ſcripſere, ideo in Terentij Adelphis, quae comoedia acta fuit ludis funebribus Q. Fabij Maximi, ſonuiſſe Sarranas ſine Phrygijs, quod par ſonus rebus maeſtis aptior eſſet, quam acutus: opinor ego, Sarranas, ideſt pares, non ſolum in rebus maeſtis, uerum etiam in laetis ſonuiſſe; cum uideam non tantum in Adelphis, ſed & in Andria, & in Hecyra fuiſſe Tibias pares, ideſt Sarranas. niſi ſi tres eas comoedias actas fuiſſe ludis funebribus alicuius ſummi ciuis credamus: quod falſum eſt: Hecyra enim

primum acta ludis Romanis. Et, quoniam Acro, in Horatij Artem Poeticam ait, ex Varronis ſententia, Tibias ueteres quattuor foraminum fuiſſe. poteſt id dupliciter intelligi. prior explanatio eſt, quod, cum Acro legerit in Varrone, Tibias ueteres, indicio id eſt, Varronis tempeſtate Tibiarum foramina mutata fuiſſe, cum Veteres nominet. Verum, ſi Acro ex perſona ſua Veteres nominat, quemadmodum ego arbitror, cum ipſe inferior multis annis, ſaeculisq. a Varrone fuerit: dicamus, ita locutum Acronem, ut rem alienam a temporibus ſuis deſignaret, Tibias ſcilicet non habuiſſe quattuor foramina, quemadmodum Varronis tempeſtate; uel quod prorſus in uſu eſſe deſijſſent, nec amplius in Comoedijs ſonarent, ut hodieq. in uſu non ſunt. Donatus dextris tibijs grauem ſonum tribuit, ſiniſtris acutum. in quo aperte fallitur: quod non ſolum Plinij iam recitato teſtimonio probauimus, qui Tibias dextras ex arundinis cacumine fieri ait, ſiniſtras ex ea, quae radicem anteceſſerit; ſed etiam Varronis, qui dextram incentiuam, ſuccentiuam ſiniſtram appellat. Fallitur quoque in eo,

quod

quod ait, Tibias Sarranas, ſiniſtrasque caſdem eſſe. nam, ſi Sarranae pares ſunt, & Phrygiae impares, ob foraminis aequalitatem, inaequalitatemque, quod ait Seruius: manifeſto patet, Sarranas tam dextras, quam ſiniſtras eſſe poſſe: quales in Andria Terentij fuiſſe exiſtimo: ideoq. in Inſcriptione legitur, Tibijs paribus dextris, & ſiniſtris, ideſt, Sarranis. Et in Adelphis, ubi legitur, Tibijs Sarranis, eaſdem opinor fuiſſe cum paribus dextris, & ſiniſtris. Et in Phormione, Tibijs imparibus, explano, Tibijs Phrygijs dextris, & ſiniſtris. Hanc opinionem meam id confirmat, quod numquam reperi Phrygias, aut Sarranas nominatas una cum paribus, aut imparibus. quod indicio eſt, Paribus, ad indicandas Sarranas; & Imparibus, ad Phrygias, ſatis fuiſſe. Illud etiam animaduerti, Sarranas, Phrygiasq. in una eademq. comoedia numquam ſonuiſſe, ſed uel has, uel illas. ideoq. legitur, Paribus, aut imparibus; nec umquam una, Paribus, & imparibus. Opinor etiam, ubi legitur, dextris, & ſiniſtris, intelligendum eſſe, non unam tantum, ſed plures Tibias a dextris ſonuiſſe, ſiniſtriſq. ſcenae: aliquan

doq. ſonuiſſe tantum ex altera parte, quo modo in Eunuchi inſcriptione legitur, Tibijs duabus dextris : itaq. eſt in ſcriptis libris. & recte. Quo loco dubitaui interdum deeſſe Paribus, uel imparibus : ut oſtenderet, Phrygiae ne, an Sarranae, eſſent; quod in alijs dixerat. ſed poſtea, cum neque Paribus, neque Imparibus ibi ſcriptum ſit, intelligi debere exiſtimaui, Pares potius, quam impares, fuiſſe; Sarranas ſcilicet potius, quam Phrygias: cum aequalis ſonus grauior ſit, qui Sarranarum erat, ideoq. conuenientior, & Romanorum auribus iucundior. Quod autem dextrae Tibiae ſint pares, id patet ex Heauton timorumenu Inſcriptione ubi eſt, Acta primum tibijs imparibus, deinde duabus dextris. nam, ſi dextrae non eaedem ſunt cum imparibus, ſequitur pares eſſe. pares autem eaſdem fuiſſe cum Sarranis, iam diximus. impares igitur Phrygiae ſunt, a ſiniſtraq. ſonabant. Ex quo patet, Sarranas modo utrimque ſonuiſſe, tuncq. dicebant, Tibijs paribus dextris, & ſiniſtris, ut in Andriae inſcriptione; modo a dextra tantum, ut in Heauton timorumenu ubi ait, Deinde duabus dextris; cum di-

xiſſet iam, Acta primum tibijs imparibus. In Eunucho quoque ſonuerunt tantum a dextra: dicit enim, Tibijs duabus dextris. Vbi uero neque dextrae, neque ſiniſtrae nominantur, ut in Phormionis, Hecyraeq. Inſcriptionibus: credendum eſt, ab uno tantum latere ſonuiſſe, a ſiniſtro ſcilicet, in Phormione; cum dicat, Tibijs imparibus; a dextro autem, in Hecyra, cum dicat, Tibijs parilibus. teſtimonio enim Inſcriptionis Heauton timorumenu iam demonſtrauimus, impares, Phrygias ſcilicet, ſonuiſſe tantum a parte ſiniſtra. Sarranas uero ſonuiſſe opinor modo a dextra ſolum, ut in Eunucho, & in Heauton timorumeno: tuncq. in Comoediae Inſcriptione id aperte ſignificabatur, & dicebatur Tibijs dextris: modo a dextra, & ſiniſtra, ut in Andria, ubi, tamquam de re, quae interdum uariaret, Dextris, & ſiniſtris, dicitur. Diomedes Tibiarum tria genera nominat, dextras, Sarranas, ſiniſtras. in quo dupliciter errat. primum, quod, ſi Sarranae aliae ſunt a dextris & ſiniſtris, non tria, ſed quattuor Tibiarum genera erunt; cum ſint & Phrygiae, quas Seruius Sarranis opponit. er-

rat

rat & in eo, quod Sarranas a dextris, & ſiniſtris diſtinguit, cum Sarranae poſſint eſſe dextrae, ſiniſtraeque. quod & iam pro bauimus & ex Adelphorum Inſcriptione patet. in qua cum ſit, Tibijs Sarranis, neque dicatur, dextris, aut ſiniſtris: quis non uidet, in Sarranis ineſſe dextris, & ſiniſtris, uel ſaltem dextris? cum ex altero ſcenae latere, uel ex ambobus ſonuiſſe neceſſe fuerit. utriuſque autem moris exempla dedimus, cum de Sarranis loqueremur. Phrygias enim a latere ſiniſtro tantum ſonuiſſe uidetur, quod ex Heauton timorumenu Inſcriptione elicitur.

Tibiae autem non ſemper ex arundine factae ſunt, ſed Plinij aetate ſacrificae e buxo, ludicrae autem e loto, oſſibusq. aſininis, & argento. Qua de re in noſtro Commentario Artis poeticae Horatij, quem ad te mittimus, Bartholomaee Capra, diximus; & apud Plinium in extremo cap. 35. lib. XVI. quaedam leguntur.



LAVDATIONES
VEL
VITVPERATIONES
EX
P. TERENTII. AFRI
COMOEDIIS

A

C

Coci.

Ha-

H

I

L

M

Mili-

N

O

P

Patrisfa-

R

S

V



AELII · DONATI
IN . ANDRIAM
TERENTII
PRAEFATIO



COMOEDIA *Andria, cum palliata ſit, de loco nomen accepit, & a Menandro prius, & nunc ab ipſo Terentio: qui, cum de Chryſide loqueretur, ſic ait:*

Hei uereor, ne quid Andria apportet mali.

& hoc commune uocabulum eſt & in Graeca, & in Latina lingua. Haec maiori ex parte motoria eſt, continetq. actus amatorum adoleſcentium, & patrum piorum. callidi ſerui, aſtutae ancillae, ſeueri ſenes, adoleſcentuli liberales. in hac primae partes ſenis Simonis ſunt, ſecundae Daui, tertiae Chremetis, & deinceps reliquorum. prologus in hac acer inducitur, & in aduerſarios non mediocriter exaſperatur; ſed tamen id ſubtiliter, ut omnia laceſſitus facere uideatur, ac dicere. hic protaſis ſubtilis, epitaſis tumultuoſa, cataſtrophe paene tragica: & tamen repente ex his turbis in tranquillum peruenit. Haec prima acta eſt, ludis Megalenſibus, M. Fuluio & M'. Glabrione aedilibus curulibus. egerunt L. Atilius Latinus Praeneſtinus, & L. Ambiuius Turpio: modos fecit Flaccus Claudij, tibijs paribus dextris, & ſiniſtris. & eſt tota graeca, edita M. Marcello, & C. Sulpicio

(cos.

cos· pronunciataq· est Andria Terentij, ob incogni tum adhuc nomen poetae, & minoris apud populum auctoritatis, ac meriti· Diuerbijs & canticis lepide distincta est: & successu spectata prospero, hortamento poetae fuit ad alias conscribendas· initium autem προτατικὸν πρόσωπον, idest, aduenticiam personam recepit Sosiae, propter euoluendam argumenti obscuritatem· persona autem protatica ea intelligitur, quae, semel inducta in principio fabulae, in nullis deinceps fabulae partibus adhibetur· Adnotandum sane, puellarum liberalium nullam orationem in proscenio induci in comoedia Palliata, praeter inuocationem Iunonis Lucinae: quae et ipsa quoque post scenam fieri solet.

EIVSDEM . ARGVMENTVM IN . EANDEM

CHREMES Atticus, pater Pasibulae & Philumenae, cum ex his duabus se Pasibulam perdidisse falso crederet, relictam Athenis, nec uisam postea multo tempore, tamquam unicam sibi putabat Philumenam, quam Charinus adolescens Atheniensis adamabat unice, & sibi petebat uxorem: sed pater eam Pamphilo cuidam, Simonis filio, ultro desponderat· qui Pamphilus contra sororem Chrysidis ac peregrinam tum creditam Pasibulam supra dictam, alteram Chremetis filiam, sub nomine Glycerij latenter sic amauit, ut ex ea filium suscepisset inscio patre.

patre. qua re intellecta, commotus Simo pater Pamphili, dum per falsas nuptias tentat animum Pamphili, multis dolis a Dauo ipse deluditur seruo, periculoq. Charini & Pamphili motus error in fabula: qui usque ad eum finem ductus est, dum Athenas ueniens Andrius quidam Crito rem aperiat, & nodum fabulae soluat: per quem agnita Pasibula recipitur a parentibus, & traditur Pamphilo amanti: Philumena uero Charino despondetur, & traditur exoptanti. Perspecto argumento, scire debemus hanc esse uirtutem poeticam, ut a nouissimis argumenti rebus incipiens, initium fabulae & originem narratiue reddat spectatoribus, auctoremq. praesentem sibi exhibeat, ubi finis est fabulae. hunc enim ordinem & circulum poeticae artis, uel uirtutis non modo secuti sunt tragici, comiciq. auctores, sed Homerus etiam & Virgilius tenuerunt. Diuisionem actuum in Latinis fabulis internoscere, difficile est. caussam iamdudum demonstrauimus. unde autem, aut quo modo, quamuis aegre, tamen intelligi, distinguiq. possint, est operaepretium dicere. Principio dicendum est, nullam personam egressam quinquies ultra exire posse. sed illa re plerumque decipimur, quod personam, cum tacuerit, egressam falso putamus: quae nihilo minus in proscenio tacens loquendi tempus exspectat. est igitur attente animaduertendum, ubi, & quando scena uacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus uel tibicen audiri possit: quod cum uiderimus, ibi actum esse fini-

tum debemus agnoscere. Confundit saepe lectorem id, quod persona in superiori scena desinens, & in proxima incipiens loqui non intelligitur ingressa; quod ipsum experientes statim dijudicant de rerum ac temporum quantitate. potest enim fieri, ut & ingressa sit, ac egressa, quam praue credimus de proscenio non recessisse. posse autem quincto egredi personam, non & necesse esse dicimus, ut appareat ultra exire non posse; in tragoedia parcius exire & solere pariter, & licere. Primus actus in Andria narrationem Simonis apud Sosiam continet argumenti; quod populus hac occasione perdiscit; mox querellam apud se Daui de domino, & eiusdem cum domino uerba, & rursus eiusdem serui deliberationem quid rerum gerat. Secundi actus haec sunt: Charini uerba, primo cum Byrrhia seruo, & post cum ipso Pamphilo de nuptijs: Pamphili sermo cum patre dolo consentientis in nuptias: Byrrhiae uerba: Daui callida oratio aduersum senem. Tertio actui haec attribuuntur: Mysidis cum obstetrice colloquium, Dauo, ac Simone audientibus: partus Glycerij suspectus seni, & Daui apud eum fraudulenta sermocinatio: Simonis uerba cum Chremete de nuptijs: Daui perturbatio ac Pamphili. Quartum actum per haec intelligimus: prima Charini uerba sunt, indignantis uelut fidem sibi non seruatam a Pamphilo: tum Mysidis uerba apud Pamphilum, eiusdemq. questus: Daui administratio doli aduersus Chremetem. In quincto actu Simonis & Chre-

Chremetis prope iurgium disputatio: tum detectio fallaciarum Daui: tum indignatio patris aduersus filium: tum Critonis interuentus, & per eum cognitis rebus, in tranquillum res acta, ducentibus uxores, quas concupiuerant, Pamphilo, & Charino. Illud non commouere nos debet, quod in horum actuum distinctione uidentur de proscenio non discessisse personae quaedam: sed tenere debemus, ideo Terentium Vicinitatis mentionem fecisse in principio, ut modico receptu & adesse, & abesse personam intelligamus. Nihil ergo sequius factum est ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diuiserunt.

DONATI. ARGVMENTVM in Eunuchum.

HAEC *masculini generis nomine nuncupata fabula est, Eunuchus, & est palliata Menandri uetus: quam ille auctor de facto adolescentis, qui se pro Eunucho deduci ad meretricem passus est, nominauit. itaque ex magna parte motoria est. Atque in hac comoedia qui personam Parmenonis actor sustinet, primas habet partes. Secūdae sunt Chaereae. Tertiae ad Phaedriam spectant. Huius prologus sane est concitatior. nam & obijcit crimina aduersantibus: & comminatur in posterum: & accusatorie narrat iniuriam Terentio factam: & ad ultimum tumultuose, & cum magna inuidia defendit poetam. Haec &*

πρότασιν, & ἐπίτασιν, & καταστροφὴν ita aequales habet, ut nusquam dicas longitudine operis Terentium delassatum dormitasse. Actus sane implicatiores sunt in ea, & qui non facile a parum doctis distingui possint: ideo quia tenendi spectatoris caussa uult poeta noster omnes quinque actus uelut unū fieri, ne respiret quodam modo: atque distincta alicubi continuatione succedentium rerum ante aulaea sublata fastidiosus spectator exsurgat. Acta plane est ludis Megalensibus, L. Postumio, L. Cornelio consulibus, aedilibus curam aedium habentibus: etiam tunc personatis L. Numidio Postumo, L. Ambiuio Turpione, item modulante Flacco Claudij tibijs dextra & sinistra ob iocularia, multa permixta grauitate. Et acta est tanto successu, ac plausu, atque suffragio, ut rursus esset uendita, & ageretur iterum pro noua: proq. ea pretium, quod nulli ante ipsam fabulam contigit, octo millbus HS numerarent poetae. Prouerbia multa saepe pronunciata, & cantica saepe mutatis modis exhibita sunt προτατικὸν πρόσωπον nusquā habet: sed suis tantum personis utitur. In hac Terentius delectat facetijs: prodest exemplis: & uitia hominum paullo mordacius, quam in ceteris, carpit. Exempla autem morum hic tria praecipua proponuntur, Vrbani scilicet, Parasitici, & Militaris. Haec edita tertium est: & pronunciata, Terentij Eunuchus: quippe iam adulta commendatione poetae, ac meritis ingenij notioribus populo. Facta autem ex duabus Graecis una est Latina.

tina. nam ex Eunucho, & Colace Menandri fabulis, haec Eunuchus Terentiana scripta est: non sine crimine, quod multa in hanc translata sint ex multis poetis Latinis. quod totum, per prologum purgat, atque defendit.

ARGVMENTVM. EVNVCHI

RAPTA quaedam ex Attica uirgo nobilis, atque adducta est Rhodum; ibiq. matri Thaidis meretricis ab amico dono data est, & educata uelut soror una cum filia Thaide. Sed Thais, relicta matre, Rhodo cum amatore quodam Athenas se contulit: ab eoq. heres instituta mortuo, mox a milite Thrasone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperisset, & eam uirginem, quam diximus, ab heredibus mortuae animaduertisset uenum esse propositam, quamuis ignarus rerum omnium, emit tamen; & dono amatae Thaidi uexit Athenas. Verum, postquam aduenient rivalem Phaedriam apud amicam reperit, quem per eius absentiam sibi meretrix cōciliarat, affirmauit se non ante daturum promissam uirginem, quam Thais foras aemulum pepulisset. Illa igitur, etsi amaret Phaedriam, cupiditate tamen recuperandae uirginis & ciuis Atticae, et quam a paruulo ut sororem dilexerat, excludit Phaedriā. Hinc ille primo irascitur: post accepta facti ratione, a Thaide lenitur; & in bidui spatium sponte

concedens militi, rus proficiſcitur: ſtatimq. ne ab aemulo muneribus ſuperaretur, Eunuchum et puellam Parmenoni iubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chaerea frater Phaedriae tunc ephebus, uiſa in uia uirgine, inflammatur amore eius. Atque eo euaſit uehementi ardore, ut pro eunucho ipſe deduceretur ad Thaidem. Hac occaſione uitiata uirgo: & mox ciuis, & nobilis cognita, datur uxor Chaereae. Phaedria uero & miles riuales, ambo concordes per paraſitum redditi, communi amica ſine certamine potiuntur. In primo actu Phaedria excluſus a Thaide, & ſecum primo, & mox cum Parmenone conqueritur fortunas ſuas. & ad poſtremum coram accuſat Thaidem. Rurſus permulcetur ab eadem, & uoluntate digrediens, rus ſeſe conceſſurum in ſpatium bidui eſſe promittit. Secundus actus, profectionem Phaedriae continet, delegantis ſeruo deductionem Eunuchi, & puellae ad Thaidem. Tum paraſitum loquentem, per quem uirgo a milite dono amicae miſſa eſt. Tum interuentum Chaereae amantis uirginem, eiuſdemq. cum Parmenone conſiliũ de eadem potienda per fallaciam: quia pro Eunucho ipſe ſupponitur Thaidi. Tertius actus characterem exprimit militis, & paraſiti per ridiculum colloquium. Tum inuitationem ad cenam Thaidis. Tum oblationem uelut Eunuchi Chaereae & puellae ex Aethiopia per Parmenonem factam. Tum uerba Chremetis ad Thaidem uenientis, productiq. ad militem. Antiphonis Chaereaeq. col-

loquium de uitiata per dolum uirgine. In quarto actu Dorias nunciat iurgium inter militem & Thaidem: tum reditum habet ex uilla Phaedriae: & querellam Pythiae de uitiata uirgine apud Phaedriam: & eundem stupentem quod audiebat. Errorem ebrij Chremetis: & uerba petulantia Thaidis aduersum militem, & militis aduersum Thaidem: parata proelia, ridiculeq. deposita. Quinctus actus haec continet, querellam Thaidis de uitiata uirgine, primo cum Pythia, postea cum ipso Chaerea: tum interuentum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem Parmenounis per dolum Pythiae, atque eius indicio per senem, qui rure tunc aduenerat, confirmatas nuptias. & ad ultimum, reditum in gratiam militis cum Phaedria, & Chaerea.

DONATI . PROLOGOMENA in Adelphos.

HAEC *fabula Adelphi palliata, ut ipsum indicat nomen, ex plurali numero, cum sit una; ex masculino genere, cum sit comoedia: ex Graeca lingua, cum sit Latina, censetur. Potuit eam Terentius Fratres dicere: sed & Graeci nominis* εὐφωνίαν *perderet; & praeterea Togata uideretur. ad summam, non statim intelligeretur Menandri esse, quod Terentius in primis lectorem scire cupit: minus existimans laudis proprias scribere, quam Graecas transferre.*

Est

Est igitur Menandri: & a fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accipit. Huius tota actio cum sit mixta ex utroque genere, ut fere Terentianae omnes, praeter Heautontimorumenon, tamen maiori ex parte motoria est. nam statarios locos perpaucos habet. Prodest autem, & delectat, actu & stylo. In hac, primae partes sunt, ut quidam putant, Demeae; ut quidam, Syri. Quod si est, ut primas Syrus habeat: secundae Demeae erunt, tertiae Micionis, & sic deinceps. Quamquam etiam sunt qui putant primas Micioni dandas, secundas Syro, tertias Demeae. Nam quod ait Terentius, Senes qui primi ueniunt: *non ad partes quas dicimus, sed ad ordinem pertinet exeuntium personarum. Haec etiam, ut cetera huiusmodi poemata, quinque actus habeat necesse est, choris diuisos a Graecis poetis, quos etsi retinendi caussa iam inconditi spectatoris minime distinguunt Latini Comici, metuētes scilicet, ne quis fastidiosus, finito actu, uelut admonitus abeundi, reliquae comoediae fiat contemptor, & surgat: tamen a doctis ueteribus discreti atque disiuncti sunt, ut mox aperiemus post argumenti narrationem. In hac prologus aliquanto lenior inducitur: qui magis etiam in se purgando, quam in aduersarijs laedendis, est occupatus. Protasis est turbulenta. Epitasis clamosa. Catastrophe lenis: quarum partium rationem diligentius in principio proposuimus, cum de Comoedia quaedam diceremus. Haec sane acta est ludis scenicis funebribus L. Aemilij*

milij

milij Paulli, agentibus L. Ambiuio, & L. Turpione, qui cum suis gregibus etiam tum personati agebant. Modulata est autem tibijs dextris, id est, Lydijs, ob seriam grauitatem, qua fere in omnibus Comoedijs utitur hic poeta. saepe tamen, mutatis per scenam modis, cantica mutauit: quod significat titulus scenae, habēs subiectas personis literas, M.M.C. Item Deuerbia ab histrionibus crebro pronunciata sunt, quae significantur D. & M. literis secundum personarum nomina praescriptis, in eo loco ubi incipit scena. Adnotandum sane, quod haec fabula προτατικὸν πρόσωπον non habet, hoc est personam quae ad argumentum nihil attineat, quaeq. sit assumpta extrinsecus, ut est in Andria Sosia. Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine poetae. itaque sic pronunciatam, Adelphoe Terenti, non Terenti Adelphoe: quod adhuc magis de fabulae nomine poeta, quam de poetae nomine fabula commendabatur. In hac quidem spectatur quid intersit inter rusticam, & urbanam uitam; mitem, & asperam; caelibis, & mariti; ueri patris, & per adoptionem facti. Quibus propositis ad exemplum, uitanda perinde, fugiendaq. Terentius monstrans, artificis poetae per totam fabulam obtinet laudem.

EX duobus Atticis fratribus, alter quidem, Demea nomine, rus coluit, uxorem duxit, filios suscepit duos, Aeschinum & Ctesiphonem. at alter, Micio nomine, uxorem non duxit, & filios procreare noluit, sed sibi filium fratris Aeschinum adoptauit, atque ita indulgenter eduxit a paruulo, ut effuse luxuriatus adolescens, ad postremum ciuem Atticam uirginem uitiaret, captus amore eius. quo facto, & cum matre puellae pepigit nuptias eiusdem quam uitiauit. cumq. rem gestam ad patris, a quo adoptatus fuerat, conscientiam, iam iamq. perlatutus esset, precibus Ctesiphonis fratris sui, qui apud durum patrem atque agrestem Demeam parcius atque artius haberetur, impulsus est, & ut eidem a lenone raperet meretricem, quo facto multiplici errore completur fabula. nam & Demea cum hoc ipso, id est, cum Micione, litigabat, tamquam cum eo qui corruperit adolescentem adoptatum, in mores perditos, nesciens suum sibi filium Ctesiphonē esse corruptum. eluditurq. a Syro & Micione per totam fabulam. Et mater puellae, iam decimo mense post raptum uirginis, Aeschinum credit sibiipsi rapuisse meretricem. quae perturbatio, cito in tranquillum redacta est. nam re comperta de uitio uirginis, Micio dat ciuem Aeschino quam concupiuerat, eiusque matrem ipse accipit. Deprehenso uero Ctesiphone in amore meretricis, primo irascitur Demea: post lenitur, atque habendae eius

mere-

meretricis licentiam praebet. Primus actus haec continet, Micionis solius primo uerba, & post, eiusdem & Demeae iurgium. Secundus actus haec continet, lenonis alteram rixam aduersus Aeschinum pro puella, eiusdem apud Syrum querellas: laetitiam Ctesiphonis, obsessionem amicae, & eiusdem gratiarum actiones apud Aeschinum. Tertius actus haec continet, Trepidationem matris Sostratae & Cantharae nutricis ob parturientem Pamphilam uitiatam ab Aeschino: Getam nunciantem dominae suae per errorem quod sibi rapuerit Aeschinus meretricem: reditum in scenam Demeae: eiusdemq. cum Syro ludificante sermocinationem: interuentum Hegionis: cum querella apud eundem Demeam de facto Aeschinis, & consolatione Sostratae. Quartus actus haec continet: Ctesiphonis cum Syro colloquium: delusionẽ Demeae: eiusdemq. in scenam interuentum, atque secundam frustrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione sermonem: querellam Aeschini de rebus suis: eiusdemq. cum Micione patre facetissimam decertationem: Demeae reditum in scenam ex errore in quem eum coniecerat Syrus: & renouatum cum fratre eiusdem iurgium: processionem in scenam temulenti Syri. Quinctus actus haec continet, Deprehensionem Ctesiphonis cum meretrice: tertium cum Micione iurgium Demeae, eiusdemq. uitae pristinae correptionem: & per eum multa in comoedia noua, hoc est, blandimentum circa Aeschinum: & affabilitatem circa Getam: conci-

liatio-

liationem Syri, & uxoris eius: & ueniam circa Ctesiphonem: permissionemq. habendae meretricis. Seruatur autem per totam fabulam mitis Micio, saeuus Demea, leno auarus, callidus Syrus, timidus Ctesipho, liberalis Aeschinus, pauidae mulieres, grauis Hegio. In diuidendis actibus fabulae identidem meminerimus, primo paginarum dinumerationem neque Graecos, neque Latinos seruasse: cum eius distributio huiusmodi rationem habeat, ut, ubi attentior spectator esse potuerit, longior actus sit; ubi fastidiosior, breuior, atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actũ posse coniici & tres, & quattuor scenas introeuntium atque exeuntium personarum. Facta autem haec una est de duabus fabulis, Adelphis Menandri, & Commorientibus Diphili.

DONATI. PROLOGOMENA in Phormionem.

H*ANC comoediam, manifestum est prius ab Apollodoro sub alio nomime, hoc est,* ἐπιδικαζόμενον *Graece scriptam esse, quã Latine a Terentio Phormionem. Quamobrem nulla dubitatio est, hanc solam esse, cui nomen poeta mutauerit; & errare eos, qui in hac Phormionem parasitum putant a formula litis, quam intenderit, nominatum, cum Graeca lingua fiscus sparteus, & stramen nauticum sic dicatur: a cuius rei uel capacitate, uel utilitate etiam ab Apollodoro parasitus*

situs

situs Phormionis nomine nuncupatur. Haec igitur proprie tota motoria est, & in affectibus constituta paene maioribus, quam Comicus stylus posceret: nisi quod arte poetae omnia moderata sunt. Primas in ea partes, ut ipse poeta professus est, tenet Phormio: secundas Geta: tertias Demipho: subinde ceteri, prout cuiusq. actus ostendit. Prologus Phormionis nimis concitatus est, adeo ut ipse semet ueluti reprehendat ob hanc ipsam peruicaciam, & simul argumentum suae purgationis inducat. Atque in ea cum & Protasis, & Epitasis, & Catastrophe magni moliminis & negotij sint: ita uarijs leporibus adsperguntur, ut etiam rerum tristium grauitatem poeta lepidus comica serenitate tranquillet. Haec acta est ludis Megal. L. Cornelio Merula aedili Curuli, & L. Postumio Albino: agentibus L. Cassio Atilio, & L. Ambiuio: modos faciente Flacco Claudij filio tibijs serranis, totaq. deuerbijs facetissimis, & gestum desiderantibus scenicum, & suauissime ornata canticis fuit. Editaq. est quarto loco, M. Valerio, & C. Fannio cos. Persona etiam in huius protasi non una est, sed duae: quarum altera extra argumentum posita est, cui narratur fabula; altera in argumento, quae narrat fabulam. Argumentum quoque non simplicis negotij habet: nec unius adolescentis, ut in Hecyra; sed duorum, ut in ceteris fabulis. Scire autem conuenit uno die transigi Phormionem: non ut Heaut. duobus. Prologus correpte ἀπὸ τοῦ προλέγειν dicitur, non produ-

cte,

cte ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν. nam officium prologi ante actionem quidem rei semper est: uerumtamen & post principium fabulae inducitur, ut apud Plautum in Milite glorioso; & apud ceteros magnae auctoritatis ueteres poetas.

ARGVMENTVM
Phormionis.

CVM *Chremes Demiphonis frater, adscito sibi ad fallaciam nomine, quo Stilphonem se dici fecerat, duas eodem tempore habuisset uxores, Athenis diuitem; pauperem Lemni: ex diuite sustulit filium, qui dictus est Phaedria; ex paupere furtim suscepit atque educauit filiam, Phaniam nomine, eamque, consilio cũ fratre habito, destinauit filio eius Antiphoni uxorem dare. Quibus complacitis, uno tempore profecti Athenis senes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad accersendam filiam, quae iam illinc cum matre nauigauerat, occasionem dederunt amandi adolescentibus. Nam statim Phaedria citharistriam sub lenone coepit ardere: Antipho illam filiam patrui Phanium desponsatam sibi, ne sciens nescientem, mox ut Athenas uenit, nec patrem reperit, falsa duplici eius nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamaut. consilioq. & opera parasiti, secundum leges Atheniensium, quasi sibi cognata esset, tamquam in iure uictus, & uelut coactus, eam acccepit uxorem*

per

per absentiam patris. Qui cum aduenisset, & uellet eam expellere, primo confutatur per impudentiam parasiti. post cum suo fratre sic decipitur, ut, dum eam credit ab Antiphone posse disiungi, eam parasitus ipse ducat uxorem, & det ducturo XXX minas praesentis dotis puellae nomine, quas Phormio acceptas Phaedriae dedit; ille, lenoni ad citharistriam redimendam. Quibus gestis tandem Chremes agnoscit filiam suam coniunctam esse fratris filio. Quare, dum, mutato consilio, XXX minas a Phormione per rixam conatur exigere, per eundem proditus uxori suae Nausistratae est. & factus libidinis reus, non ante ueniam meruit a matrefamilias, quam & triginta minarum, & amoris citharistriae ueniam dedisset filio. Primus actus est in colloquio Daui & Getae: per quos discit populus argumentum. Secundi actus tenor continet aduentum senis turbulentum, & eiusdem iurgium aduersus Getam & Phaedriam. Tertio actui attribuitur litigium senis & Phormionis: tum consultatio cum aduocatis, tum Antiphonis in scenam reditus, colloquiumq. cum Geta: tum lenonis & Phaedriae colluctatio: tum adhortatio Getae de inueniendo argento ad redimendam Phaedriae citharistriam. Quartum actum ista concelebrant, aduentus Chremetis: eiusdemq. cum fratre deliberatio per errorem de eijcienda Phanio. Getae uerba de fallendis senibus. Antiphonis oratio apud semetipsum de amore tractantis. Getae rursus cum senibus

callida, & mox cum Antiphone de eadem caussa simplex disputatio. senum inter se colloquium de expulsione mulieris. & ad extremum uerba Chremetis agnoscentis nutricem, ac per eam filiam suam cum Antiphone coniunctam. In quincto actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine, & conuenitur Nausistrata, ut exire domo compellat Phanium. nunciatur Antiphoni & Phormioni per Getam Phanium a patre agnitam, permissamq. ut uxor habeatur. quae cum ita nupta sit, exposcitur argentum à Phormione per rixam senum, a quibus ille oppressus, rem omnem aperit Nausistratae. ad quod primum irata, ut in tali re, uxor, mox lenitur in fine fabulae. & tutissimum a patris iracundia praestat Phaedriam.

DONATI . PROLEGOMENA in Hecyram.

HAEC fabula, Apollodori esse dicitur Graeca. nam & ipsa, & Phormio ab eodem dicuntur esse translatae: cum reliquae quattuor sint Menandri comici. Hecyra autem dicitur ideo, quia per socros, & soceros in ea aguntur multa. Nam & ἑκυρὸς, & ἑκυρὰ, & soceri nomen, socrusq. significant. Est autem mixta motorijs actibus, ac statarijs: multumq. sententiarum & figurarum continet in toto stylo. Vnde cum delectet plurimum, non minus utilitatis af-

fert spectatoribus. Atque in hac, primae partes sunt Lachetis, secundae Pamphili, tertiae Phidippi, quartae Parmenonis, ac deinceps aliarum personarum, quae his adiunctae sunt. Diuisa est autem, ut ceterae quinque, actibus legitimis, quos in subditis distinguemus. In hac prologus est & multiplex, et rhetoricus nimis, propterea quod saepe exclusa haec comoedia diligentissima defensione indigebat. Atque in hac Protasis turbulenta est, Epitasis mollior, lenis Catastrophe. Acta sane est ludis Megalensibus, Sex. Iulio, C. Rabirio aedilib. curulib. Egitq. L. Ambiuius. Modulatus est eam Flaccus Claudius tibijs paribus. Tota Graeca est, Factaq. & edita quincto loco, Cn. Octauio, T. Manlio cos. Cantica & deuerbia summo in hac fauore suscepta sunt. προτατικὰ πρόσωπα, id est, personae extra argumentum duae sunt, Philotidis & Syrae. In tota comoedia hoc agitur, ut res nouae fiant, nec tamen abhorreant a consuetudine. Inducuntur enim beneuolae socrus, uerecunda nurus, lenissimus in uxorem maritus, & item deditus matri suae, meretrix bona.

ARGVMENTVM. HECYRAE

VITIATAM in tenebris ante nuptias, cui anulum extorserat, meretricem amans dum ignorat Pamphilus duxit uxorem grauidam ex compressu suo, Quam, peregre profectus, cum reliquisset domi, rediens parientem of-

fendit furtim & apud matrem suam. Qua re commotus, dum repudium, inuitis parentibus, & caussam repudij nescientibus, parat: per meretricem, apud quam anulus inuentus est, cognoscit tandem ita a se uitiatam uxorem, & ex se natum filium. Primus actus colloquium continet meretricis Philotidis ac lenae Syrae cum Parmenone: ut per harum personas, quae προτατικαὶ dicuntur, argumentum spectator discat. Secundi actus tenor in hoc est, Immeritam uxorem ueluti malam socrum, accusat Laches: & conuenit Phidippum de eadem caussa. statim post quorum colloquium, conquestio inducitur Sostratae, quod falsum crimen inuidiosumq. sustineat. Tertio actui haec adscribuntur, Conquestio Pamphili peregre redeuntis, de amore suo circa uxorem. Paritudo Philumenae. Sostratae uerba super aegritudine nurus, quam morbo credit afflictam. Fletus Pamphili errantis, cum putat non ex se filium natum esse. Colloquium Parmenonis cum pueris a naui uenientibus, ut mox loquatur cum ipso Pamphilo, a quo in arcem mittitur. Item Lachetis, Phidippiq. & Pamphili uerba de reconcilianda illi coniuge & eorum ab inuicem litigiosa dissensio. Quartum actum haec complent. Perturbatio Myrrhinae ex interuentu mariti: & eiusdem cum eo nimis callida ac muliebris astutiae disceptatio. Sostratae, Pamphili Lachetisq. colloquium. Inclamatio patris & soceri aduersum Pamphilum uxorem recusantem. Conuentio meretricis promittentis se

iusiu-

iusiurandum matronis exhibituram de non admisso ad se Pamphilo. In quincto actu Bacchidis narratio de intus gestis, & colloquium cum Parmenone inducitur, quem nuncium mittit ad Pamphilum: Pamphiliq. ad ultimum actio gratiarum apud ipsam Bacchidem. Docet autem Varro neque in hac fabula, neque in alijs esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumq. sint numero: cum haec distributio in rerum descriptione, non in numero uersuum, constituta sit: non apud Latinos modo, uerumetiam apud Graecos ipsos.

FR
CO

Inp



quod feceri
uerumtame
comoedijs
idest probā

In

Ic
S bo
d
ex defen
& obiectu
trouersia
qua priori
qui petit.
prudentia
est, qua ob

FRAGMENTVM COMMENTARII EOGRAPHII IN·TERENTIVM

In prologum Andriae Terentij



VAs faciet deintegro comoedias. *hoc est deintegro, cum unā Graecam in unam Latinam trāstulerit: nunc enim transtulit quasi duas: atque ex hoc uidetur Terentius illud declarasse, quod fecerit iure fecisse. & per exempla fecisse. uerumtamen iam non esse facturum, ut de duabus comoedijs unam comoediam faciat.* spectandae: *idest probādae.* an exigendae: *idest foras mittēdae.*

Incipit prologus Eunuchi

SI quisquam est, qui placere se studeat bonis: *Hic prologus habet controuersias duas, unam ex accusatoris persona; aliam *ex* defensoris. nam & Terentius obijcit crimen, & obiectum purgat. in eo quod obijcit, talis est controuersia. comoedias dedit aduersarius, in his unā, qua priori loco caussam dicit a quo petitur, non ille qui petit. hoc ita quod crimen stultitiae est, & imprudentiae. ita status est qualitas. alia cōtrouersia est, qua obijcitur Terentio, quae talis est, Graecam*

comoediam in Latinam transferre liceat. Eunuchum Terentius dedit comoediam parasiti & militis. quod Plautus in sua comoedia habuerit, nunc Terentius in Eunucho posuit. Reus est quod contra legem fecerit. hic status primo qualitas absoluta ex iuris ratione, deinde qualitas uenialis per ignorantiam. Nunc iam singulas utriusque explicemus.* Si quisquam est, qui placere se studeat bonis: *controuersiae principium semper est ad beneuolentiam captandam auditorum, aut a nostra persona, aut ab auditorum, aut a iudicum, aut a rebus ipsis. hic nunc utrumque complectitur, & a nostra persona, & ab auditorum. a nostra sic, Si est aliquis, qui placere se studeat bonis, & minime multos laedere, in his poeta nomen profitetur suum. ab aduersariorum, Tum si quis est, qui dictum in se inclementius existimauit esse, sic existimet.* Bonis quam plurimis: *quidam intelligunt quamplurimis bonis. nos intelligamus extrinsecus plurimos, nihil aliud posuisse nisi malos: boni enim admodum pauci sunt, ita quod dixit in numero Plurimis, qualitatem potius declarauit.* Et minime multos laedere: *Duo praecepta posuit, placere bonis, nec multos laedere, haec & hic tenuit in caussis iudiciisque publicis ita sit uersatus, ut defenderit multos, laeserit neminem.* Inclementius: *idest iniustius, acerbius.* Responsum non dictum esse quale sit prior: *Ne uideatur Terentius improbam continuo maledici subisse personam, quod prior laederet, dixit respondisse, potius*

tius

tius non maledixisse: hoc enim est quod positum est non dictum. dictum enim Cicero de Oratore male dictum ponit, hoc est maledicere dicta dicere. sequitur controuersia ipsa est criminatio a parte accusatoris. Qui bene uertendo & eas describen do male: *Bene uertit, de Graeco in Latinum: male scribit, male uerba componit.* Idem Menandri fasma nunc nuper dedit: *aliter, Fana. nomen fabulae Fana est. & bene addidit Nunc nuper, ut crimen istud, quod obijcit, non longi temporis, sed ut recens memoria uideatur peccati esse.* Scripsit caussam dicere: *in comoedia sua hoc argumentum est. Quidam agrum uendidit, illic habuit patriũ monumentum, in quo thesauros emptor inuenit. comperit emptor. in iudicium uenitur. utique ex ratione & ex consuetudine prior loqui debet ille qui petit. Petitor autem hic uenditor est. ut secundo loco respondeat a quo petitur hoc est emptor. At contra Luscius Lanuuinus fecit ut prior loqueretur unde petitur, quam ille qui petit. ergo propositio criminis collocata est: incipit enim eius caussae quaestio, ac primo praescriptionis est status. potestque dicere Lucius Lanuuinus reprehendi non possum: placuit in hac comoedia hanc praescriptionẽ solui sic, Ne frustretur ipse se, aut sic cogitet, De functus iam sum, nihil est quod dicat mihi. sed hãc, praescriptionem donat, & admonet ne peccet. quã rem subtili accusatione composuit: ex hoc enim plus accusatur. siquidem de praeteritis se donare promittit crimen. & monet quasi iterum peccaturum.*

rum: ſimul & alia multa crimina ſe donare dicit. nunc nolle & nihilominus poſtea nolle maledicere, ſi tum laedat inimicus: quibus rebus & perſonam ſuam commendat, & aduerſarium ad confirmandam impudentiam iniecit. Ita uti facere inſti tuit: *omni enim genere laborare debemus, ut aduerſarios aut in odium, aut in contemptionem, aut in inuidiam ducamus. ita enim in odium adduxit, quod dixit ſi perget laedere, ita ut facere inſtituit. in contemptionem, quod dixit eſſe tali ingenio, ut ignorauerit qui prior loqui in actione deberet. ſubiungit deinde alteram controuerſiam:* Quam nũc acturi ſumus Menandri Eunuchum poſtquam aediles emerunt: *hic a narratione incipit, quia ſupra exordium collocatum. Ergo haec tota narratio uſque ad propoſitionem criminis & quaeſtionis, quae incipit ex hoc uerſu, Exclamat furem non poetam, fabulam dediſſe, & nihil dediſſe uerborum. Pulchre primo generaliter propoſuit illam ex aduerſarij perſona: ita enim oportet, ut ſpecies ſic ſubijciatur, quae qualitatis eſt, ut diximus ſupra de Latino in Latinum transferri non licere. Haec quaeſtio ſic proponitur. Colacem eſſe Naeui et Plauti ueterem fabulam; paraſiti perſonam inde ablatam & militis. perſonam autem hic intelligo non nomina, quod poſtea declarabo. ſubiungit reſponſionem, primo quaſi quodam ſtatu finitiuo, quae ſic iungit. Si id eſt peccatum, peccatum hoc eſt; an hoc peccatum ſit uerum donat. hic ad qualitatem ipſam deſcendit uenialem, quam ſic proponit,*

nit, Peccatum imprudentia est Poetae: uenia enim tribus modis fit · ui, casu, ignorantia · cum autem imprudentia uel una de tribus fuerit, coniectura erit, nec aliquid animus faciet · adiunxit ergo Terentius: Non quod furtum facere studuerit: haec tantum uerba repromissionem argumentorum tenent, non ueritatem. ergo adiungit: Id ita uos esse iam iudicare poteritis: Quoniam diximus illam legem, ex Graeco in Latinum transferre liceat · hoc namque dico, quod Colax Menandri est · in ea est fabula de parasito colace & glorioso milite · parasitus autem colax, idest adulator; hoc enim significat & miles gloriosus, apud Latinos quod Colax apud Graecos · sicut igitur supra diximus, inde est ablata persona parasiti & militis · Ergo hae personae in Menandri comoedia sunt · quod concludit · Eas se personas non negat transtulisse in Eunuchum suam ex Graeca · ergo iam non contra legem fecit, quod ex Graeca transtulit, quoniam & Latinae comoediae sunt, redit ad uenialem statum, ut nescisse se dicat · Sed eas fabulas factas prius Latinas scisse se uero id pernegat: sic iungitur qualitas absoluta de iuris ratione, quod licitum est ex necessitate rerum, ut nota similitudo personas singulas reseruet: hoc est enim, quod dicit · Quod si personis iisdem aliis non licet uti: haec enim semper necessitate naturali sunt apta & inligata personis · Ita fit ut quicumque personam aliquam collocat, eius debeat mores exprimere · quam rem concludit · Denique nullum dictum est, quod

non

non dictum sit: *Sed hic res intelligamus, non uerba. haec quae dicunt Graeci πράγματα, naturaliter sunt omnibus semper aequalia. Addic dum uerba sunt. sed haec controuersia est. Sequitur iam ratio prologi, quam in Andriam praecepi, ut audientiam a populo petat. concludens simul cum ueniali statu prologum.* Quare aequum est uos cognoscere, atque ignoscere: *ut hic est absoluta qualitas per exempla, cum tacita sit. Deinde sic audientia patitur.* Et cum silentio animaduertite, ut pernoscatis quid sibi uelit: *hic iam comoedia ipsius res potestatemque noscamus.*

IN. PROLOGVM
Heauton timorumenu

OMNES *hae comoediae de Graeco trāslatae sunt, a Menandro quidē quattuor, duae ab Apollodoro. Heauton timorumenos Menādri est. cuius prologus partitionem tenet, in qua docet, quid in quaestionē sit, id ipsum ne populus miraretur, dissoluere.* Ne cui sit uestrū mirum cur partes seni poeta dederit, quae sunt adulescentium: *Duas partes proponit, unam quod contra consuetudinem senex prologus processit in publicum: solet enim istud officium adulescentibus dari. ergo quoniam contra consuetudinem in prologum persona processit senex, iccirco hanc primam populo uult soluere quaestionem.* Deinde quod ueni eloquar: *altera haec pars est. simile autem*

mihi

mihi uidetur huic esse principium diuinationis · namque & illic quod subito mutata uoluntate ad accusandum descenderat, mirum dixit uideri, uel iudicibus, uel circumstantibus; ac propterea se primum id uelle dissoluere, Si quis uestrum iudices, aut eorum qui adsunt, forte miratur · uides hic uerbum nouerit, semper apponi; ita enim & hic dixit, ne cui sit uestrum mirum · hanc igitur partitionem soluit, uti dicat cur partes seni poeta dederit, quae sunt adulescentium · quod primo proposuerat, primo soluit · Oratorem me esse uoluit, non prologum. Vestrum iudicium fecit, me actorem dedit: *quod autem dixit, quod ueni eloquar, illud est, nam quod rumores distulerunt maleuoli Multas contaminasse Graecas, dum facit paucas Latinas, id esse factum hic non negat · ergo ut propositio collocata est, ita etiam solutionis est ordo seruatus: sed nunc ad interpretationem superiorum reuertamur ·* Ex integra Graeca integram comoediam sum hodie acturus. *Quoniam Andria ex duabus comoedijs uidetur esse confecta quippe Ilio & Perinthia · haec Andria continentur, quod quidem criminis loco aduersarius dederat, ideo hic ex integra, inquit, comoedia integram comoediam acturus sum · ne uideatur ab altero tacta, aut ipse alteram tetigisse, sed unam comoediam & integram ad Latinum sermonem interpretatione mutasse · Denique ideo adiecit:* Duplex, quae ex argumento facta est simplici: *ut simplex argumentum sit, duplex comoedia dum &*

Latina eadem & Graeca est. nouam esse ostendit propterea cum a Graeco tantum dicta est, & Latino non acta est. Nunc primum in scenam procedit, iccirco dicitur noua, & quae esset supra dixit, Heauton timorumenon, & cuia Graeca sit, ni partem maximam existimarem scire uestrum, id dicerem, duplex hic pronunciatio est, qui scripserit, & cuia Graeca sit, ni partem maximam existimarem scire, id ut post inferatur. Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo: illud quod supra positum est, uidetur adiectum. nunc redit ad partitionē supra collatam, cur partes adulescētium senex sumpserit. Oratorem me esse uoluit, non prologum: Vt apud uos agerem caussam potius, non officio fungerer prologorum. prologi enim, sicuti iam dictum, aut argumentum narrant, aut poetae personam commendant, aut audientiam postulant. nunc autem ego apud uos acturus sum caussam. & defendam, si quod fuerit forte in Terentium ab aduersario, loco criminis, intentatum. ideo enim dixit, Vostrū iudicium fecit, me actorem dedit: sed hic actor tantum poterit a facundia, quantum ille potuit cogitare commode, qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum. poeta, inquit, me actorem esse uoluit, qui tantum in facundia excellit, et praeualet ingenio, quantum et ego, qui eandem comoediam acturus sum, in agendo praeualeo. ita hic actor, hoc est, ego, tantum potero a facundia, hoc est non degenerabo ab eo qui cogitauit. Nam quod rumores maleuoli distulerunt:

runt: *Hic iam incipit caussam dicere cur uenerit, sicut supra diximus: ut purget quaestiones ipsas & obiecta ab aduersarijs soluat.* Maleuoli *autem quod dixit uel numero plurali: ut maleuoli rumores ipsi; uel singulari, ut sit huius maleuoli, hoc est Luscij Lanuuini.* distulerunt, *idest in diuersum disseminarunt.* Multas contaminasse Graecas, dum facit paucas Latinas: *hoc est illud quod diximus quando hic praelocutus est, ut diceret, ex integra Graeca integram comoediam sum acturus hodie. ita & hic, hoc sibi crimen dicit obiectum, quod Terentius multas Graecas contaminauerit comoedias, dum paucas Latinas facit. hoc autem crimẽ Terentius non negat factum, sed sibi licere demonstrat, & licere scilicet per aliorum exempla, quemadmodum Tullius dixit, Adductus sum iudices fide, misericordia, multorum exemplo bonorum. Et hic, habet bonorum exemplum.* Facturum autumat: *facturum dicit & profitetur.* Nam quod maleuolus uetus dicit: *aliud crimen est, quod obiectum nunc proponit, quoniam Luscius Lanuuinus dicit Terentium non peritum artis musicae, ad comoedias scribendas accessisse, praesumente potius ingenio amicorum, non suo.* Arbitrium ueſtrum, ueſtra exiſtimatio ualebit: *hoc locutionis genus satis mirum est, cum dicit, de hac re uos iudicare poteritis, an id, quod obijcitur nobis, uerum sit, ut Terentius non natura sua fretus, neque ingenio, sed amicorum potius, ad scribendas comoedias accessit: est namque rumor, quod Terentius cum Scipio-*

ne Africano familiarissimus fuit, semper istas comoedias cogitarit: hoc igitur prologus nititur soluere. & quoniam non est erubescendum, tali uiro fuisse coniunctum, idcirco minus curat hoc crimen dissoluere. dicit tantummodo, Vestrum iudicium est, & uestra existimatio est. Quare uos omnes oratos uolo: *hic iam sequitur officium prologi, ut beneuolentiam petat. quae beneuolentia & in aduersarios odium concitat. quod adiecit,* Ne plus iniquum possit, quam aequum oratio. Date crescẽdi copiam nouarum rerum qui spectandi faciunt copiam sine uitijs: *quoniam petitio generaliter fuerat collata, uti nobis poetis fauerent auditores, adiecit nobis sed qui sine uitijs comoedias profert, sed cum uitio adiecit.* Ne ille pro se dictum existimet: *& ne Luscius Lanuuinus etiam pro se petitum arbitretur.* Qui nuper fecit seruo currẽti in uia decesse populum: *Proponit uitium quod admiserit poeta Luscius Lanuuinus. quippe cum omnis comoedia, aut errorem teneat ex amatoribus, aut iniuram meretricum, aut suppositionem filiorum, aut aliquid tale, quod ad moralitatem uidetur esse coniunctum. Quod tale hic est, cum seruus currit, cũ populus decedit, quod domino insano obediat seruus. ne potius aliena a comoedijs sint. aperte ait ac breuiter ea quae sunt comoediarũ explicemus. omnis comoedia aut amoris habet agnitionem, aut suppositionẽ amoris habet, ut ex Andria, quã quidem in agnitionẽ esse cognoscimus. nã cognoscitur Glycerium quia ciuis sit.*

Supposi-

Suppositionem habet, ut apud Plautũ qui est Trucu lẽtus: militi enim supponitur filius, ut exinde in meretricis affectum artius et strictius colligetur. ergo cũ uideamus haec esse necessaria in comoedijs teneri, uehementer errauit Lanuuinus, qui extra haec comoediam instituit. & seruum currere, populum per uiam discedere. quod insano seruiat domino. Vnde apertissimum uitium in comoedia reprehendit Terentius. Statariam agere ut liceat per silentium: *quidam statariam genus esse putant comoediae. alij, in quibus stantes. unde hanc statariam nominant: mihi enim uidetur statariam agere ut liceat per silentium, ideo dixisse, ut perpetuo & stabiliter agatur haec comoedia, neque populi aduersis suffragijs foras pellatur. Ideo adiecit,* Vt liceat per silentium, *& subiungit,* Ne semper seruos currens, iratus senex, *& cetera,* assidue agendi sint mihi clamore summo cum labore maximo. *haec autem, quae nunc nominantur, propria uidentur esse personarum. nam serui officium est currere, senis irasci, parasitus autem edax est, impudens sycophanta, leno auarus est. ergo sunt haec propria sermonis, quae necesse habeo ex necessitate personarum complere. debetis mihi potius fauere, quam aduerso suffragio conatus facere.* Mea caussa caussam hanc iustam in animum inducite. Vt aliqua pars laboris minuatur mihi: *quantum ad eum qui comoediam scribit, pertinet: potuit enim secundum morem ingenio uniuersa complere.*

ergo quia haec pronunciaturus ſum, neceſſe habeo ſilentium. ideo, inquit, propter me hanc mihi operam exhibete, ut cum ſilentio attendatis. In hac pura eſt oratio: *Quoniam ſicut dixerat laborioſas potius comoedias ad ſe deferri: lenes ad alium, ne praeiudicium huic comoediae feciſſe uideretur, quod ipſe dicit illa aut exinde iam a ſuperiori populo iudicare poſſet adiecit, In hac pura eſt oratio; experimini in utramque partem ingeniũ quid poſſit meum. non omnis aequalitas modo utrumque poſſunt: & lenia perferre, & grauia complere. Ita ait in utramque partem. quoniam ſemper in aſperioribus comprobaſtis. nunc quoque lenioribus noſſe debetis.* Vt adulescentuli uobis placere ſtudeant potiusquam ſibi: *ſi mihi nunc honorem per ſilentium dederitis, facile eos adulescentes compelletis, ut uobis placere potius uelint, quam ſibi: quoniam officium prologorum adulescentes ſumunt, multa in comoediis ipſi acturi ſunt. Ita factum mihi cum mihi ex hac actione eſſe cognouerint, facile ipſi laborem hunc capere poſſint, ut uobis placeant.*

IN. PROLOGVM
Adelphorum

POSTQVAM poeta ſenſit ſcripturam ſuam ab iniquis obſeruari: *Eadem conſuetudo prologi ſemel ſignata apud Terentium perſeuerat, uti magis maledictis ad-*

uerſariis

uersarijs respondeat. *Neque sunt prologorum offi cia, quae compleat.* Postquam poeta sensit ab iniquis obseruari: *ab aduersarijs, hoc est a Luscio Lanuuino.* In peiorem partem quam acturi sumus: *animaduertit, iniquos rapere aliter quod dictum est a Terentio, quam nos acturi sumus.* Indicio de ipse erit: *ipse uoluit de se indicium dare, uti uos iudices esse possitis, id quod facit an laudandum sit an uituperandum.* In prima fabula: *idest in prima parte fabulae. ut Virg. Vidimus obscuris primam sub uallibus urbem. Dixi in alijs comoedijs & magis in Andria, hanc fuisse consuetudinem poetis Latinis, ut crimen nõ esset, aliquid de Graeco transferre in Latinum, uerum illud esse criminis simulata contingere, uel si id diceret, quod iam a Latino fuisset expressum. ergo quod adulescens quidam meretricem eripit, de comoedia tractum uidetur, quae iam cum Graeca fuisset, a Latino translata est: sed haec pars comoediae praetermissa est, ubi adulescens lenoni eripit meretricem. quod si ita est ut ille qui transtulerit aliam comoediam Graecam, hanc partem reliquerit, non uidetur a Terentio ullum crimen admissum, si id transtulit, quod apud Graecos intactum manebat, ideo adiecit:* Eandem nos acturi sumus nouã: *ut non iam hoc sit furtum, quia non a Latino dictum est: sed potius reprehensus hic locus est, qui est praetermissus: Reprehensus autem interdum significat iterum prehensus. Alia subinde proponitur quaestio, quod maledici homines frequentissi-*

medicant Terentium adiuuari a nobilioribus: erat enim opinio quod a Laelio & Scipione & Seruilio adiuuaretur, sed hoc crimen ad gloriam reuocat: & confitetur, laudabile satis esse uiris talibus placere: Quorum opera in bello: *hic Scipio Africanus est.* In otio: *Laelius sapientissimus.* In negotio: *uel Philus, uel Seruilius.* Suo quisque tempore: *quorum opera unuquisque usus est in necessitatibus suis sine aliqua eorum superbia. Deinde subiungit, cur officium suum non compleat, ut argumentum narret, quod senes, qui primi ueniunt, argumenti continent expositionem. & breuiter postulat audientiam.* Facite aequanimitas: *hoc est aequos animos ut habeatis.*

IN. PROLOGVM Hecyrae.

NON *omnes comoediae Terentij a Menandro uidentur esse translatae: nā haec, quae Hecyra est, alterum Graecum habet auctorem. quis ille sit, habetur incertum. Alij Apollodorum uolunt. quid autem nunc ipsa contineat, explicabimus. cuius prologus inducitur duplex, propterea quia frequenter exclusa est, ut intelligitur. Videtur enim primam prologi partem antea dictam posteriorem, nunc esse sociatam consuetudinem quidem in omnibus diximus prologorum semper esse haec, poetam commendare, argumentum dicere, audientiam postulare. Verum cum caussa*

exordij

exordij ſemper ita ſit, ut ſuſpicio uel crimen quod poſſit opinioni obeſſe in principio defendatur, eſt hic purgandum quod frequenter excluſa eſt: uidetur enim quiddam eſſe praeiudicium quod haec comoedia placere non poſſit. defenditur autem cauſſae deriuatione, per coniecturalem ſtatum. non enim, ideo quia mala, eſt excluſa; ſed quia populus in funambulo animum occupauerit. & hoc addit, quod ſemel excluſa eſt, uel quod rumor eſſet datum iri gladiatores. populus conuolauit cum tumultu deſuruit loco: hoc enim ad id pertinet quod iterum uidetur excluſa. ita in omnibus excluſionibus per cauſſae mutationem defenſio comparata. nunc uerba tractemus. Graecum nomen Hecyra Latine ſocrus dicitur. Appoſuit igitur ad faciendos dociles auditores, primum, nomen. deinde proponit quaeſtionem cum dicit: Haec cum data eſt noua, nouum interuenit uitium & calamitas, ut neque ſpectari neque cognoſci potuerit: *In quo defenſio eſt magna, cum nunc dicit ſpectatam & cognitã repudiate, Deinde concluſio eiuſdem cauſſae.* Ita ſtudio populus ſtupidus in funambulo animũ occuparat. nunc haec plane eſt pro noua: *ergo ſi antea nullum initium huius agendae fuit, tamquam redit.* & hic qui ſcripſit hanc ob eam rem noluit Iterum referre ut iterum poſſit uendere: *ne obijceretur cur non repetita actio eſt poſt funambulum, ſi propter funambulum uidetur excluſa, adiecta cauſſa eſt, quoniam Terentius referre eam noluit, ut poſſit eam uendere.* Alias cogno-

ſtis eius,quaeſo hanc cognoſcite: *optime admo nuit ut de praeteritis poetam datum doceret, quo facilius poſſet ſcire populus, & hanc eius comoediam poſſe ſimiliter comparari.* Orator ad uos uenio ornatu prologi. ſinite exorator ſim: *Alius eſt hic prologus ſuperior, qui fuit ſuperioris excluſionis. hic uero propter excluſionnem tumultus conuenientis populi propter ſpectandos gla diatores,* Sinite exorator ſiem: *uel ſim. ſinite, inquit, quod oro impetrem.* Quo iure ſum uſus adoleſcentior: *hic prologus dicitur ab Ambiuio Turpione. quia ſenex fuerat qui eſt in ea actor, petit ergo uti pari modo utatur ſenex beneuolentia populi, qua & adoleſceus.* Nouas qui exactas fecit ut inueteraſcerent: *qui labore meo nouas comoedias excluſas ad populi aures reuocaui, & ueteres confeci.* Quas primum Caecili didici nouas: *comoediarum ſcriptor Caecilius fuit. ergo ad hunc laborem ſuum profert exemplum de altero auctore, qui populo placuerit. & oſtendit populi quodam modo rem, & ſcenae dubiam fortunam eſſe, uti comoedia excludatur aliquotiens.* Spe incerta certum mihi laborem ſuſtuli: *hic ſe commendat, quo facilius impetret quod deſiderat. laborem certiſſimum ſuſtuli. at placendi ſpes eſt, & incerta. Vbi ſunt cognitae, placitae ſunt. uides a ſimili quemadmodum hic argumentum & coniecturam fecerit; ſi quidem illae Caecilij comoediae, quae excluſae ſunt, quia ante non erant cognitae, poſteaquam meo labore cognitae ſunt, place*

re

re coeperunt. ergo & istae placebunt sine dubio, cum cognoscentur. Quam mihi per silentium numquam agere licitum est: *hic iam, comparatione a simili ducta & terminata, ad primā quaestionem redit: docetque sit frequenter exclusus non suo uitio, neque iudicio de comoedia: petit igitur audientiam ut populus praebeat: & ponit hic ipsam duplicem exclusionis caussam: nam primam sic colligit:* Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria; Funambuli eodem accessit exspectatio: *Deinde actionem alteram sic memorat:* Vetere in noua coepi uti consuetudine, in experiundo ut essem: *Hoc est ut iterum temptarem*. Refero denuo: *deinde adiecit quod utile fuerat comoediae iudicium*. Primo actu placeo: *supponit deinde caussam cur exclusus est*. Cum interea rumor uenit datum iri gladiatores, populus cō uolat. Tumultuantur, pugnant de loco: *declarata caussa uel re, ad officium prologi redit, petens audientiam*. Nunc turba non est. otium & silentium est: *& iam sublatae sunt caussae, quibus sum frequenter exclusus ad audiendum operam datae*. Nolite sinere per uos artem musicam recidere ad paucos: *Date potius operam ut faueatis comoedias scribētibus. ne ars musica ad paucos reuertatur: &, si aliquid excludatur, comoediae adscribant*. Facite ut uestra auctoritas meae auctoritati adiutrix fautrixque sit. *Vos comoedias cum libenter audire coeperitis, erit studium scriptoribus maximum. unde mea ad clangendum cre-*

ſcet auctoritas. ſiquidem multi per me placebunt. & commendat ſe quod numquam pretium statuit artis ſuae maximum, ut auarus uideretur. & quod maxime ipſum quaeſtum putauerit populo ſemper placere. Qui in tutelam meam ſtudium ſuum, & ſe in ueſtram commiſit fidem: *Poeta enim quodam modo auctore commendatus eſt.* Mea cauſſa cauſſam hanc accipite, ac date: *Scit ſe optimi meriti eſſe, & quam frequenter populo placuerit: & idcirco propter ſe dicit audientiam eſſe comoediae dandam.*

IN. PROLOGVM Phormionis

SEMEL *tibi datum praeceptum circa prologos perſeuerat: numquam Terentium ratione uti in prologis, qua utuntur omnes. quippe cum aduerſarius Luſcius Lanuuinus maledictis frequentiſſime eum perſecutus ſit, quibus oportet in prologo reſpondere. hanc quidem quaeſtionem etiam ipſe fecit. quod enim Terentius numquam prologis uteretur, niſi haberet aduerſarium, cui malediceret, certum eſt. Ita naſcitur hic quaſi quaedam controuerſia, qua reus efficitur Terentius, quod facit contra legem, quod iniuste agat, omittendo prologorum conſuetudinem, & tantum maledicta ponendo. huic per qualitatem reſpondet: aduerſarium ſuũ cogere ſe, ut iſtud, quod Terentius facit, poſſit efficere.* Poſtquam poeta

uetus. *i. Luſcius Lanuuinus poetam noſtrum Terentium non potuit coercere, quo minus comoedias ſcriberet, & hominem ad otium reuocaret, coepit eum maledictis terrere; credens non ſcripturum comoedias Terentium, ſi ei ſaepe malediceret. obijcit praeterea primam quaeſtiunculam, quod leues comoedias Terentius fecerit. criminatur, quod non fecit, quod Luſcius Lanuuinus in comoedijs fecit. Ita fit obiecti criminis ex quadam aduerſarij accuſatione purgatio.* Tenui eſſe oratione & ſcriptura leui: *Hoc eſt, ſoliditatem in uerbis nullam, nullam in rebus. Hoc obiectum eſt, oſtendit etiam nullam grauitatem. quoniam iſtud quod obiecerat, iſta feciſſe, ideo obiecit quod non fecit, quod fecit idem Luſcius Lanuuinus.* Et ſectari canes, Et eam plorare, orare ut ſubueniat ſibi: *In qua utique perſpicis nihil quod comoediarum ſit. nō enim aut amator erat, aut ſuſpicione ducitur, aut affectus eſt alicuius, aut iraſcitur pater quod nolit filius ducere uxorem, aut aliquod & horum, quod ſolet eſſe in comoedijs ut debet. primum enim quod ad comoediam pertinet ideſt adoleſcens inſanus, qui affectus a comoedijs lōge uidetur alienus. quod deinde ceruam uidet fugere, & ſequi canes, iſtud omnino a comoedia alienum eſt. Ita neſcio quod genus dicendi eſt alienum. ſiquidem Luſcius Lanuuinus in eo ſit Terentius oſtendit uilia ſe magis iſta uitare: ut ſi quid in aduerſario eſſe cognouerit, reprehendat quod intelligeret.* Cum ſtetit olim noua, actoris opera magis ſtetiſſe quam ſua:

comoe-

comoedia ista, quam reprehendit, dicta a Lanuuino est, & placuit. cur potest esse praescriptio, quod reprehendi non possit ex eo quod iam populo placuit. Occurrit huic Terentius dicendo, quod si animaduerteret, quoniam cum noua comoedia, quã reprehendit, data est, actoris opera stetit, non sua. ut non magis ingenio placuerit poetae, quam actoris artificio. Nunc si quis est: *Haec est illa propositio quaestionis, quod numquam prologus a Terentio ponatur caussa, qua solet prologus dici, ut poetam commendet, ut argumentum dicat, sed tantummodo maledicat aduersario. Hanc quaestionem ut dixisset, superuacuos esse quodammodo prologos, neque illi comoediae contineri: omnis enim palma, omnis uictoria, omne certamen, in ipsa fabula continetur. comoediae sunt illae, ubi uirtus & ingenium possit peruenire ad gloriam. Hic igitur dixit in medio palmam omnibus positam, qui tractant artem Musicam. Non principia, neque extremitatem oportere considerare, sed illa, quae sunt media, quae comoediam tenent, ubi ars musica tota uersatur.* Ille ad famem ab studio uoluit hunc reijcere: *Nota aduersarij uoluntatem, quod maligne persecutus sit, uti Terentius a fama reijceretur: uendebant enim comoedias, & inde quaestum habebant. certe optime respondit, etiam aduersum quod dixit, Hic respondere uoluit, non lacessere. Fit enim iustum, cum respondemus potius maledicis, quam maledictis aliquem prouocamus. Ita cum paria referimus, crimen est nullum.*

lum. *Quod adiunxit* Quod ab illo allatum, hic sibi relatum putet: *Commendat nunc poetam, cum subiungit*: De illo iam finem faciam dicendi, cum ipse de se non facit: *Hic grauiter & illum peccare multa docuit, & se contentum esse respondere.* Nunc quid uelim, animaduertite: *supponit per paucos uersus ad officium prologi, ut aliquid instruat de comoedia.* Apporto Epidicazomenon quam uocant Graeci comoediam: *Nomen comoediae dicere, aliquid argumenti tangere, prologi officium est*: quia primas partes: *hoc est summas dicet qui fecerit parasitus Phormio non priores. siquidem comoediae nomen impositum est, ab eo auctore, per quem plurima aguntur.* Adeste aequo animo: *Subiungit illam beneuolentiam, quam semper petit prologus. & rogat etiam ut audiatur cum silentio.* Ne simili fortuna. *Datur hic intelligi, quod haec comoedia post illam comoediam, quae dicitur Hecyra, est. ut hoc hic tetigerit, ne tali fortuna utamur, qua usi sumus, frequentissime exclusi, aliquando tamen cum labore maximo comoediam egimus, uirtute potius perseuerantis actoris, qui totiens sit exclusus. Ne tantum quasi actori illam comoediam fecerit audiri uirtute, sed perseuerantia. Et ne ex hoc iniuriam populo fecisset, adiecit* Bonitas uestra adiutans, atque aequanimitas.

Ex prima scena Andriae.

Argumentorum loci traduntur alij esse artificiales, alij inartificiales; & inartificiales quidem ex

auctoritate sumuntur uel opinione. artificiales uero aut a personis aut a negotijs.
Cum autem omne argumentum rei dubiae faciat fidem, his uel nostram uel aduersariorum caussam confirmamus, uel infirmamus. Quorum loci sumũtur, ante rem quidem, unde agitur: a persona, a caussa, a tempore, a loco, a materia, a modo, a ratione. In re, unde agitur, a toto, a parte, a genere, a specie, a differentia, a proprio, a definitione, a nomine. Circa rem, unde agitur, a simili, a dissimili, a pari, a contrario, a maiore, a minore, a praecedente, ab eo quod est simul, a consequente. Post rem uero, ab euentu, a iudicatis. qui loci ideo communes dicuntur, quia in omni genere caussarum ex his argumenta duci possunt. Nam a personis consideratur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, uita, amicitia, aetas, incessus, uultus. uel aliter a persona, nomen, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus, & orationes.
Quid uis patiar: *Sensus hic est. noli persuadere: quantum uelit irascatur pater, quaecumque per iracundiam fecerit, sustinebo.*
Nec tu ea caussa minueris haec, quae facis: *Hoc quidem obscure dictum est, sed est sensus. Vnde tu, sententiam suam ne mutet Chremes, haec, quae facis, mutare noli, ut ad amicam uadas.*
Non sat commode diuisa sunt temporibus: *Non bene, inquit, haec diuisisti: neque temporibus tradidisti, ut nec ante, nec post, puella parere*
potuerit,

potuerit, nisi cum me praesentem audiuit.

Num immemor es discipuli? *Ac si diceret, si Pamphilus diuisit, techna discipuli ad magistrum respicit. & est argumentum a maiore ad minus.*

Hoc nisi fit puerum ut tu uideas: *Per antisagogen est sensus: uidebis puerum & remouebuntur nuptiae.*

Qui scis ergo, nisi periculum feceris: *Periculum est temperamentum. ut Cicero: Quando tu tui periculum fecisti. Item ipse in Eunucho: Fac periculum in litteris. & est palilogia: quae fit quando nomen repetitum uehementius significat, ut At istuc periclum in filia fieri: nam istud nomen per metonymiam dictum est, quia in periculis multa temptamus.*


BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

ANDRIA
TERENTII

ACTA · LVDIS · MEGALENSIB·

M·FVLVIO·ET·M'·GLABRIONE·AEDILIB·CVRVLIB·

EGERVNT

L · AMBIVIVS · TVRPIO

L · ATILIVS · PRAENESTINVS

MODOS . FECIT

FLACCVS · CLAVDI · F · TIBIIS · PARIB·

DEXTRIS · ET · SINISTRIS

ET · EST · TOTA · GRAECA

EDITA

M · MARCELLO · C · SVLPICIO · COS·



A

C. SVLPICII. APOLLINARIS
PERIOCHA

Sororem falso creditam meretriculae,
Genere Andriae, Glycerium uitiat Pamphilus:
Grauidaq. facta, dat fidem uxorem sibi
Fore hanc: nam aliam pater ei desponderat
Gnatam Chremetis: atque, ut amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens, suus
Quid haberet animi filius, cognoscere.
Daui suasu non repugnat Pamphilus.
Sed, ex Glycerio natum ut uidit puerulum
Chremes, recusat nuptias, generum abdicat:
Mox filiam Glycerium insperato agnitam
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino coniugem.

ANDRIAE . PERSONAE
EARVMQ. INTERPRETATIO

SIMO, ſenex, ἀπὸ τοῦ σιμοῦ, a ſimo naſo.
SOSIA, libertus, ἀπὸ τοῦ σώζεσθαι, a conſeruatione & ſalute.
DAVVS, ſeruus, gentile nomen, a Δάοις, gente ſeruili.
MYSIS, ancilla, etiam gentile.
PAMPHILVS, adoleſcens, ἢ πασίφιλος τὶς ὤν, ἢ πάντας φιλῶν, id eſt, omnibus carus, aut omnium amicus, aduerſus nemini.
CHARINVS, adoleſcens, gratioſum nomen, ἀπὸ τῆς χάριτος.
BYRRHIA, ſeruus, ἀπὸ τοῦ πυῤῥὸς, id eſt, rubeus, ſeu rubicundus, mutato π in β.
LESBIA, obſtetrix, gentile.
GLYCERIVM, Chremetis filia, ἀπὸ τῆς γλυκέρας, a dulcedine.
CHREMES, ſenex, vel a χρέμπτεσθαι, quod eſt enixe exſpuere, vel potius a χρεμετοῦ, equeſtris: ſtudio enim alendi equos, Athenienſes maxime delectabantur.
CRITO, hoſpes, ἀπὸ τοῦ κριτοῦ.
DROMO, lorarius, ἀπὸ τοῦ δρόμου, id eſt, curſu.

Atque hi fabulae ſunt interlocutores, reliquarum perſonarum tantum mentio fit.

ARCHILIS, ancilla, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, vel verius ἀργυλὶς ἀπὸ τοῦ ἀργοῦ, id eſt, ſegnitie: ſiue ut alibi reperitur, Achrylis, quod Phrygiam ſignificat.
CHRYSIS, meretrix, a χρυσοῦ, id eſt, auro.
NICERATVS, adoleſcens: a voto victoriae nomen habere videtur.
PASIBVLA, eadem quae Glycerium, ἀπὸ τοῦ πᾶσι βουλεύεσθαι, id eſt, omnibus conſulens.

POETA cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negoti credidit solum dari,
Populo ut placerent, quas fecisset fabulas.
Verum aliter euenire multo intelligit:
Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui maleuoli
Veteris poetae maledictis respondeat.
Nunc, quã rem uitio dẽt, quaeso animũ aduortite.
Menander fecit Andriam, & Perinthiam.
Qui utramuis recte norit, ambas nouerit.
Non ita sunt dissimili argumento, set tamen
Dissimili oratione sunt factae, ac stilo.
Quae conuenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur transtulisse, atque usum pro suis.
Id isti uituperant factum, atque in eo disputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt ne intelligendo, ut nihil intellegant?
Qui cum hunc accusant, Naeuiũ, Plautũ, Ennium
Accusant, quos hic noster auctores habet:
Quorum aemulari exoptat neclegentiam
Potius, quam istorum obscuram diligentiam.
Dehinc ut quiescant porro, moneo, & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Fauete, adeste aequo animo, & rem cognoscite,
Vt pernoscatis, ecquid spei sit relliquum,
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae, an exigendae sint uobis prius.

SIMO · SOSIA

VOS istaec intro auferte: abite. Sosia,
Ades dum: paucis te uolo. SO. dictum puta.
Nempe ut curentur recte haec. SI. immo aliud. SO. quid est,
Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius?
SI. Nihil istac opus est arte ad hanc rem quam paro:
Sed iis, quas semper in te intellexi sitas,
Fide, & taciturnitate. SO. exspecto, quid uelis.
SI. Ego postquam te emi a paruolo, ut semper tibi
Apud me iusta, & clemens fuerit seruitus,
Scis. feci, e seruo ut esses libertus mihi,
Propterea quod seruiebas liberaliter.
Quod habui summum pretium, persolui tibi.
SO. In memoria habeo. SI. haut muto factum. SO. gaudeo,
Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo, &,
Id gratum fuisse aduorsum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc molestum est: nã istaec cõmemoratio
Quasi exprobratio est immemoris benefici.
Quin tu uno uerbo dic, quid est, quod me uelis.
SI. Ita faciam. hoc primum in hac re praedico tibi:
Quas credis esse has, non sunt uerae nuptiae.
SO. Cur simulas igitur? SI. rẽ oẽm a principio audies.
Eo pacto & gnati uitam, & consilium meum
Cognosces, & quid facere in hac re te uelim.
Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia,
Liberius uiuendi fuit potestas: nam antea

Qui ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dũ aetas, metus, magiſter prohibebant? SO. ita eſt.
SI. Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,
Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad uenãdum, aut ad philoſophos:
Horum ille nihil egregie praeter cetera
Studebat, & tamen omnia haec mediocriter.
Gaudebam. SO. non iniuria: nam id arbitror
Adprime in uita eſſe utile, ut NE QVID NIMIS.
SI. Sic uita erat: facile omnes perferre, ac pati:
Cum quibus erat cumque una, ijs ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudijs, aduorſus nemini,
Numquam praeponens ſe alijs. ita facillime
Sine inuidia inuenias laudem, & amicos pares.
SO. Sapienter uitam inſtituit: namque hoc tempore
OBSEQVIVM · AMICOS · VERITAS · ODIVM PARIT
SI. Interea mulier quaedam ab hinc triennium
Ex Andro commigrauit huc uiciniae,
Inopia, & cognatorum neglegentia
Coacta, egregia forma, atque aetate integra.
SO. Hei uereor, ne quid Andria apportet mali.
SI. Primum haec pudice uitam, parce, ac duriter
Agebat, lana, ac tela uictum quaeritans:
Sed, poſtquam amans acceſſit, pretium pollicens,
Vnus, & item alter; ita ut ingenium eſt omnium
Hominum, ab labore procliue ad lubidinem,
Accepit condicionem, dein quaeſtum occipit.
Qui tum illam amabant, forte, ita ut fit, filium

Perdu-

Perduxere illuc secum, ut una esset, meum ·
Egomet continuo mecum: certe captus est ·
Habet · obseruabam mane illorum seruolos
Venientes, aut abeuntes: rogitabam, heus puer,
Dic sodes, quis heri Chrysidē habuit? nā Andriae
Illi id erat nomen · SO · teneo · SI · Phaedrum, aut Cliniam
Dicebant, aut Niceratum · nam hi tres tum simul
Amabant · eho, quid Pamphilus? quid? symbolum
Dedit, cenauit: gaudebam · item alio die
Quaerebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere · enim uero spectatum satis
Putabam, & magnum exemplum continentiae ·
Nam, qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi,
Neque commouetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere iam ipsum suae uitae modum ·
Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum ·
Quid uerbis opus est? hac fama impulsus Chremes,
Vltro ad me uenit, unicam gnatam suam
Cum dote summa filio uxorem ut daret ·
Placuit: despondi: hic nuptijs dictus est dies ·
SO · Quid obstat, cur non uerae fiant? SI · audies ·
Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt,
Chrysis uicina haec moritur · SO · o factum bene:
Beasti: metui a Chryside · SI · ibi tum filius
Cū illis, qui amarāt Chrysidē, una aderat frequēs:
Curabat una funus: tristis interim,
Nonnumquā cōlacrumabat · placuit tum id mihi ·

Symbolus, symbola uel symboli est paruū numisma, aut signū aliquod, ut annulus.

Sic cogitabam: hic paruae consuetudinis
Caussa mortem huius tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?
Haec ego putabam esse omnia humani ingeni,
Mansuetiq. animi officia. quid multis moror?
Egomet quoque eius caussa in funus prodeo,
Nihil suspicãs etiã mali. SO. hem quid est? SI. scies.
Effertur: imus. interea inter mulieres,
Quae ibi aderãt, forte unã adspicio adolescẽtulam,
Forma, SO. bona fortasse. SI. & uoltu, Sosia,
Adeo modesto, adeo uenusto, ut nihil supra.
Quia tum mihi lamentari praeter ceteras
Visa est, & quia erat forma praeter ceteras
Honesta, & liberali; accedo ad pedisequas;
Quae sit, rogo. sororem esse aiunt Chrysidis.
Percussit illico animum. at at, hoc illud est,
Hinc ille lacrumae, haec illa est misericordia.
SO. Quam timeo, quorsum euadas. SI. funus interim
Procedit: sequimur: ad sepulcrum uenimus.
In ignem posita est: fletur. interea haec soror,
Quam dixi, ad flammam accessit imprudentius,
Satis cum periclo. ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene dissimulatum amorem, & celatum indicat:
Accurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glyceriũ, inquit, quid agis? cur te is perditũ?
Tum illa, ut consuetum facile amorem cerneres,
Reiecit se in eum flens quam familiariter.
SO. Quid ais? SI. redeo inde iratus, atque aegreferẽs,
Nec satis ad obiurgandum caussae. diceret,
Quid feci? quod commerui, aut peccaui, pater?

Quae

Quae ſeſe uoluit in ignem inijcere, prohibui,
Seruaui· honeſta oratio eſt· SO· *recte putas:*
Nam ſi illum obiurges, uitae qui auxilium tulit;
Quid facias illi, qui dederit damnum, aut malũ?
SI· *Venit Chremes poſtridie ad me, clamitans,*
Indignum facinus, comperiſſe, Pamphilum
Pro uxore habere hanc peregrinã · ego illud ſedulo
Negare factum· ille inſtat factum· denique
Ita tum diſcedo ab illo, ut qui ſe filiam
Neget daturum· SO· *non tu ibi gnatum?* SI· *ne haec quidem*
Satis uehemens cauſſa ad obiurgãdũ· SO· *qui, cedo?*
SI· *Tute ipſe his rebus finem praeſcripſti, pater:*
Prope adeſt, cum alieno more uiuendum eſt mihi:
Sine nunc meo me uiuere interea modo·
SO· *Quis igitur relictus eſt obiurgandi locus?*
SI· *Si propter amorem uxorem nolit ducere:*
Ea primum ab illo animaduertenda iniuria eſt·
Et nunc id operando, ut per falſas nuptias
Vera obiurgandi cauſſa ſit, ſi deneget:
Simul, ſceleratus Dauus ſi quid conſili
Habet, ut conſumat nunc, cum nihil obſint doli:
Quem ego credo manibus, pedibusq· obnixe omnia
Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet,
Quam ut obſequatur gnato· SO· *quapropter?* SI· *rogas?*
Mala mẽs, malus animus· quẽ quidẽ ego ſi ſenſero·
Sed quid opuſt uerbis? ſin eueniat, quod uolo,
In Pamphilo ut nihil ſit morae reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt: & ſpero confore·

Nunc

Nūc tuū est officiū, has bene ut adsimules nuptias,
Perterrefacias Dauum, obserues filium,
Quid agat, quid cum illo consilij captet. SO. *sat est.*
Curabo: eamus iam nunc intro. SI. *i prae, sequar.*
Non dubium est, quin uxorem nolit filius:
Ita Dauum modo timere sensi, ubi nuptias
Futuras esse audiuit. sed exit foras.

ACTVS . I . SCENA . II

DAVVS . SIMO

IRABAR, *hoc si sic abiret: & heri semper lenitas,*
M
Verebar, quorsum euaderet.
Qui postquam audierat nō datū iri filio uxorē suo,
Numquam cuiquam nostrum uerbum fecit, neque id aegre tulit.
S. *At nunc faciet, neque, ut opinor, sine tuo magno malo.*
D. *Id uoluit, nos sic nec opinantes duci falso gaudio,*
Sperātes iā amoto metu, inter oscitantes opprimi,
Vt ne esset spatiū cogitādi ad disturbādas nuptias:
Astute. S. *carnufex quae loquitur?* D. *herus est, neque praeuideram.*
S. *Daue,* D. *hem, quid est?* S. *ehodum ad me.* D. *quid hic uolt?* S. *quid ais?* D. *qua de re?* S. *rogas?*
Meum gnatum rumor est amare. D. *id populus curat scilicet.*
S. *Hocine agis, an non?* D. *ego uero istuc.* S. *sed, nunc ea me exquirere,*

Iniqui patris est: nam, quod antehac fecit, nihil ad
me attinet:
Dum tempus ad eam rem tulit, siui animum ut ex
pleret suum. (lat.
Nūc haec dies aliā uitā adfert, alios mores postu-
Dehinc postulo, siue aequum est, te oro, Daue, ut
redeat iam in uiam.
D· Hoc quid sit? s· omnes, qui amant, grauiter sibi
dari uxorem ferunt.
D· Ita aiunt· s· tum si quis magistrum cepit ad eam
rem improbum,
Ipsum animum aegrotum ad deteriorem partem
plerumque applicat.
D· Non hercle intelligo· s· non? hem· D· non: Dauus
sum, non Oedipus.
s· Nempe ergo aperte uis, quae restant, me loqui· D·
sane quidem·
s· Si sensero hodie, quidquam in his te nuptijs
Fallaciae conari, quo fiant minus;
Aut uelle in ea re ostendi, quam sis callidus:
Verberibus caesum te in pistrinum, Daue, dedam
usque ad necem,
Ea lege, atque omine, ut, si te inde exemerim, ego
pro te molam·
Quid, hoc? intellextin'? an nondum etiam ne hoc
quidem? D· immo callide:
Ita aperte ipsam rem modo locutus: nihil circuitio
ne usus es·
s· Vbiuis, facilius passus sim, quam in hac re, me de-
ludier·

D. Bona uerba, quaeso. SI. irrides? nihil me fallis. sed dico tibi,
Ne temere facias: neque tu hoc dicas tibi non praedictum, caue.

ACTVS . I . SCENA . III

DAVVS

ENIMVERO, Daue, nihil loci est segnitiae, neque socordiae,
Quantum intellexi modo senis sententiam de nuptijs.
Quae si non astu prouidentur, me, aut herum pessumdabunt.
Nec, quid agam, certum est, Pamphilum ne adiutem, an auscultem seni.
Si illum relinquo, eius uitae timeo; sin opitulor, huius minas:
Cui uerba dare difficile est. primum iam de amore, hoc comperit:
Me infensus seruat, ne quam faciam in nuptijs fallaciam.
Si senserit, perij; aut, si libitum fuerit, caussam ceperit,
Quo iure, quaq. iniuria praecipitem in pistrinum dabit.
Ad haec mala hoc mihi accedit etiã: haec Andria,
Siue ista uxor, siue amica est, grauida e Pamphilo est:
Audireq. eorum est operaepretium audaciam:

Nam

Nam inceptio est amentium, haud amantium: Paronomasia est quae a Cicerone Agnominatio dicitur.
Quidquid peperisset, decreuerunt tollere:
Et fingunt quandam inter se nunc fallaciam,
Ciuem Atticam esse hanc: fuit olim quidã senex,
Mercator: nauẽ is fregit apud Andrum insulam:
Is obijt mortem: ibi tum hanc eiectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, paruam. fabulae.
Mihi quidem non hercle fit uerisimile.
Atqui ipsis commentum placet.
Sed Mysis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, ut
Conueniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

ACTVS · I · SCENA · IV

MYSIS

AVDIVI Archilis iamdudum: Lesbiam adduci iubes.
Sane pol illa temulenta est mulier, & temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam. importunitatem spectate aniculae:
Quia cõpotrix eius est. Di date facultatem obsecro
Huic pariundi, atque illi in alijs potius peccandi locum.
Sed quidnam Pamphilum exanimatum uideo? uereor, quid siet.

Opperiar,

i. turbatio, co... : Opperiar, ut ſciam, numquidnam haec turba triſtitiae afferat.

ACTVS · I · SCENA · V

PAMPHILVS · MYSIS

HOCINE eſt humanum factum, aut inceptum? hocine officium patris?

M· Quid illud eſt?

P· Pro deum, atque hominum fidem, quid eſt, ſi non haec contumelia eſt?

Vxorē decreuit dare ſeſe mi hodie: non ne oportuit

Praeſciſſe me ante? non ne prius communicatum oportuit?

M· Miſeram me, quod uerbum audio? P· quid Chremes? qui denegauerat,

Se commiſſurum mihi gnatam ſuam uxorem: id mutauit:

Quoniam me immutatum uidet.

Ita ne obſtinate operam dat, ut me a Glycerio miſerum abſtrahat?

Quod ſi fit, pereo funditus.

i. infortunatū. Adeon' hominem inuenuſtum eſſe, aut infelicem quemquam, ut ego ſum?

Pro deum, atque hominum, nullon' ego

Chremetis pacto affinitatem effugere potero? quot modis

exagerat indignitas. Contemptus, ſpretus? facta, tranſacta omnia. hem

Repudiatus repetor, quamobrem? niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor:

Aliquid

*Aliquid monſtri alunt: ea quoniam nemini obtru-
di poteſt,
Itur ad me. M. oratio haec me miſeram exanima-
uit metu.
Nam, quid ego dicam de patre? ah,
Tantam ne rem tam neglegenter agere? praeter-
iens modo
Mihi apud forum, uxor tibi ducenda eſt, Pamphi-
le, hodie, inquit: para:
Abi domum. id mihi uiſus eſt dicere, abi cito, &
ſuſpende te.
Obſtupui. cenſen' me uerbum potuiſſe ullum pro-
loqui?
Aut ullam cauſſam, ineptam ſaltem, falſam,
iniquam? obmutui.
Quod ſi ego prius id reſciſſem; quid facerem, ſi
quis nunc me roget,
Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. ſed nunc
primum quid exſequar?
Tot me impediunt curae, quae meum animum di-
uerſe trahunt;
Amor, huius miſericordia, nuptiarũ ſollicitatio,
Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt ani-
mo uſque adhuc,
Quae meo cumque animo libitum eſt, facere: ei ne
ego ut aduorſer? hei mihi,
Incertum eſt, quid agam. M. miſera timeo, hoc
incertum quorſum accidat.
Sed nunc peropuſt, aut hunc cum ipſa, aut me ali-
quid de illa aduorſum hunc loqui.*

Dum

Dum in dubio est animus, paullo momento huc illuc impellitur.

P. Quis hic loquitur? Mysis, salue. M. o salue, Pamphile. P. quid agit? M. rogas?

Laborat e dolore: atq. ex hoc misera sollicita est, die

Quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae: tum autem hoc timet,

Ne deseras se. P. hem, ego ne istuc conari queam?

Ego propter me illam decipi miseram sinam?

Quae mihi suum animũ, atque omnẽ uitã credidit,

Quã ego animo egregie carã pro uxore habuerim;

Bene, & pudice eius doctum, atque eductum, sinã,

Coactum egestate ingenium immutarier?

Non faciam. M. haut uereor, si in te solo sit situm:

Sed uim ut queas ferre. P. adeon' me ignauũ putas?

Adeon' porro ingratum, aut inhumanũ, aut ferũ,

Vt neque me consuetudo, neque amor, neque pudor

Commoueat, neque commoneat, ut seruem fidem?

M. Vnum hoc scio, hãc meritã esse, ut memor esses sui.

P. Memor essem? o Mysis Mysis, etiam nunc mihi

Scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis

De Glycerio. iam ferme moriens me uocat:

Accessi: uos semotae: nos soli: incipit:

Prosopopoeia ort et principiũ à blandimento.

Mi Pamphile, huius formam, atque aetatẽ, uides.

Nec clam te est, quam illi nunc utraeque inutiles

Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem sient.

Quod ego per hanc te dextram oro, et ingeniũ tuũ,

Per tuam fidem, perq. huius solitudinem

Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras.

Si te in germani fratris dilexi loco,

Siue

Siue haec te solum semper fecit maxumi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te isti uirum do, amicum, tutorem, patrem:
Bona nostra haec tibi cōmitto, & tuae mādo fidei.
Hāc mihi in manū dat: mors cōtinuo ipsā occupat.
Accepi: acceptam seruabo. M. ita spero quidem.
P. Sed cur tu ab illa? M. obstetricē accerso. P. propera:
Atque audin'? uerbum unum caue de nuptijs,
Ne ad morbum hoc etiam. M. teneo.

ACTVS · II · SCENA · I

CHARINVS · BYRRHIA · PAMPHILVS

QVID ais, Byrrhia?
Datur ne illa Pamphilo hodie nuptum?
B. sic est. C. qui scis, Byrrhia?
B. Apud forum modo de Dauo audiui. C. uae misero mihi.
Vt animus in spe, atque in timore usque antehac attentus fuit,
Ita, postquam adempta spes est, lassus, cura confectus stupet.
B. Quaeso edepol, Charine, quoniam id fieri, quod uis, non potest.
Velis id, quod possit. C. nihil aliud, nisi Philumenam, uolo.
B. Ah, quanto satius est, te id operam dare,
Qui istum amorem ex animo amoueas tuo, quam id loqui,
Quo magis libido frustra incendatur tua.

Attédant, tú amatorüs, tú physici.

C. FACILE · OMNES · CVM · VALEMVS · RECTA CONSILIA · AEGROTIS · DAMVS

Tu si hic sis, aliter sentias. B. *age age, ut lubet.* C. *sed Pamphilum*
Video. omnia experiri certum est prius, quam pereo. B. *quid hic agit?*
C. *Ipsum hunc orabo: huic supplicabo: amorem huic narrabo meum:*
Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptijs prodat dies.
Interea fiet aliquid, spero. B. *id Aliquid nihil est.* C. *Byrrhia,*
Quid tibi uidetur? adeon' ad eum? B. *quid ni? si nihil impetres,* (rit.
Vt te arbitretur sibi paratum moechũ, si illã duxe
C. *Abi hinc in malã rem cum suspicione istac, scelus.*
P. *Charinum uideo. salue.* C. *o salue, Pamphile:*
Ad te aduenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.
P. *Neque pol consili locũ habeo, neque auxilij copiã.*
Sed istuc quidnam est? C. *hodie uxorem ducis?* P. *aiunt.* C. *Pamphile,*
Si id facis, hodie postremum me uides. P. *quid ita?* C. *hei mihi,*
Vereor dicere: huic dic quaeso, Byrrhia. B. *ego dicam.* P. *quid est?*
B. *Sponsam hic tuam amat.* P. *ne iste haut mecum sentit. ehodum, dic mihi,*
Numquidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? C. *ah, Pamphile,*

Nihil

Nihil. P. quam uellem. C. nunc te, per amicitiam, & per amorem, obsecro,
Principio ut ne ducas: P. dabo equidem operam. C. sed, si id non potes,
Aut tibi nuptiae hae sunt cordi, P. cordi? C. saltem aliquot dies
Profer, dum proficiscor aliquo, ne uideam. P. audi nunc iam.
Ego, Charine, neutiquam officium esse liberi puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiae apponi sibi.
Nuptias effugere ego istas malo, quam tu adipiscier:
C. Reddidisti animum. P. nunc, si quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite, inuenite, efficite, qui detur tibi:
Ego id agam, mihi qui ne detur. C. sat habeo. P. Dauum optume
Video. huius consilio fretus sum. C. at tu hercle haut quidquam mihi,
Nisi ea, quae nihil opus sunt scire. fugin' hinc? S. ego uero ac lubens.

ACTVS · II · SCENA · II

DAVVS · CHARINVS · PAMPHILVS

D I BONI, boni quid porto? sed, ubi inueniam Pamphilum,
Vt metum, in quo nunc est, adimam, atque expleam animum gaudio.

C. Laetus est, nescio quid. P. nihil est. nondum haec re sciuit mala.
D. Quem ego nunc credo; si iam audierit sibi paratas nuptias,
C. Audin' tu illum? D. toto me opido exanimatum quaerere.
Sed, ubi quaeram? aut quo nunc primum intendam? C. cessas alloqui?
D. Abeo. P. Daue, ades, resiste. D. quis homo est, qui me? o Pamphile,
Te ipsum quaero. euge, o Charine: ambo opportune: uos uolo.
P. Daue, perij. D. quin tu hoc audi. P. interij. D. quid timeas, scio.
C. Mea quidem hercle in dubio uita est. D. & tu quid, scio.
P. Nuptiae mihi D. & id scio. P. hodie. D. obtundis, tametsi intelligo.
Id paues, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. C. rem tenes.
P. Istuc ipsum. D. atque istuc ipsum, nihil pericli est: me uide.
P. Obsecro te; quamprimum hoc me libera miserum metu. D. hem,
Libero: uxorem tibi iam non dat Chremes. P. qui scis? D. scio.
Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare
Hodie, item alia multa, quae nunc non est narrandi locus.

Conti-

Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec.
Vbi te non inuenio, ibi adscendo in quendam excelsum locum.
Circumspicio: nusquam. forte ibi huius uideo Byrrhiam:
Rogo: negat uidisse: mihi molestũ. quid agã, cogito. i. interrogo.
Redeunti interea ex ipsa re mihi incidit suspicio. hem,
Paullulum obsoni, ipsus tristis, de improuiso nuptiae.
Non cohaerent. P. quorsumnam istuc? D. ego me continuo ad Chremem.
Cum illo aduenio, solitudo ante ostiũ. iã id gaudeo.
P. Recte dicis, perge. D. manco: interea introire neminem
Video, exire neminem, matronam nullã, in edibus
Nil ornati, nil tumulti. accessi. introspexi. P. scio.
Magnum signum. D. num uidentur conuenire haec nuptijs?
P. Non, opinor, Daue. D. opinor, narras? non recte accipis.
Certa res est. etiam puerum inde abiens conueni Chremis,
Holera, & pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni.
C. Liberatus sum, Daue, hodie tua opera. D. at nullus, pro, nõ. quidem.
C. Quid ita? nempe huic prorsus illam non dat. D. ridiculum caput.

Quasi necesse sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.
Nisi uides, nisi senis amicos oras, ambis. C. bene mones.
Ibo: etsi hercle saepe iam me spes haec frustrata est. uale.

ACTVS . II . SCENA . III

PAMPHILVS . DAVVS

QVID igitur sibi uolt pater? cur simulat? D. ego dicam tibi.
Si id suscenseat nunc, quia non det tibi uxorem Chremes,
Ipsus sibi esse iniurius uideatur: neque id iniuria:
Prius, quam tuum, ut sese habeat, animum ad nuptias perspexerit.
Sed, si tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet:
Tum illae turbae fient. P. quid? uis, patiar? D. pater est, Pamphile.
Difficile est. tum haec sola est mulier. dictum ac factum inuenerit
Aliquam caussam, quamobrem eiiciat opido. P. eiiciat? D. cito.
P. Cedo igitur, quid faciam, Daue? D. dic, te ducturum. P. hem. D. quid est?
P. Ego dicam? D. cur non? P. numquam faciam. D. ne nega.
P. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat, uide.

P. Vt

P· *Vt ab illa excludar, huc concludar.* D· *non ita est.*

Nempe hoc sic esse opinor dicturum patrem:
Ducas uolo hodie uxorem. tu, Ducam, inquies:
Cedo, quid iurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient,
Sine omni periculo: nam hoce haud dubium est, quin Chremes
Tibi non det gnatam: nec tu ea caussa min ueris
Haec, quae facis, ne is mutet suam sententiam.
Patri dic uelle: ut, cum uelit tibi iure irasci, non queat.
Nam, quod tu speres, propulsabo facile. uxorem his moribus i. timeas.
Dabit nemo. inopem inueniet potius, quam te corrumpi sinat:
Sed, si te aequo animo ferre accipiet, neglegentem feceris.
Alia otiosus quaeret: interea aliquid acciderit boni.

P· *Itan' credis?* D· *haut dubium id quidem est.* P· *uide, quo inducas.* D· *quin taces?*

P· *Dicam. puerum autem ne resciscat mihi esse ab illa, cautio est:* i. cauendum est.
Nam pollicitus sum suscepturum. D· *o facinus audax.* P· *hanc fidem*
Sibi, me obsecrauit, qui se sciret, non desertuiri, ut darem.

D· *Curabitur. sed pater adest. caue, te esse tristem sentiat.* [handwritten marginal note, partly illegible]

ACTVS · II · SCENA · IV

SIMO · DAVVS · PAMPHILVS

REVISO, quid agant, aut quid captent consilij.
D· Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges:
Venit meditatus alicunde ex solo loco.
Orationem sperat inuenisse se,
Qua differat te: proin' tu fac, apud te ut sies.
P· Modo ut possim. D· crede mihi hoc inquam, Pamphile,
Numquam hodie tecum commutaturum patrem
Vnum esse uerbum, si te dices ducere.

ACTVS · II · SCENA · V

BYRRHIA · SIMO · DAVVS · PAMPHILVS

HERVS me, relictis rebus, iussit Pāphilum
Hodie obseruare, ut, quid ageret de nuptijs,
Scirem. id propterea nunc hunc uenientem sequor.
Ipsum adeo praesto uideo cum Dauo. hoc agam.
S· Vtrumque adesse uideo. D· hem, serua. S· Pāphile.
D· Quasi de improuiso respice ad eum. P· hem, pater.
D· Probe. S· hodie uxorem ducas, ut dixi, uolo.
B· Nunc nostrae parti timeo, quid hic respondeat.
P· Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. B· hem.
D· Obmutuit. B· quid dixit? S· facis, ut te decet,

Cum istuc, quod postulo, impetro cum gratia.
D· *Sũ uerus?* B· *herus, quantum audio, uxore excidit.*
S· *I iam nunc intro, ne in mora, cum opus sit, sies.*
P· *Eo.* B· *nulla ne in re esse homini cuiquam fidem?*
Verum illud uerbum est, uolgo quod dici solet,
OMNES·SIBI·MELIVS·MALLE·ESSE·QVAM·ALTERI
Ego illam uidi uirginem: forma bona
Memini uidere: quo aequior sum Pamphilo,
Si se illam in somnis, quã illum, amplecti maluit.
Renunciabo: ut pro hoc malo mihi det malum.

ACTVS · II · SCENA · VI

DAVVS · SIMO

HIC *nunc me credit aliquam sibi fallaciã*
Portare, & ea me hic restitisse gratia.
S· *Quid Dauus narrat?* D· *aeque quidquam nunc quidem.*
S· *Nihil ne? hem.* D· *nihil prorsus.* S· *atqui exspectabam quidem.*
D· *Praeter spẽ euenit: sentio: hoc male habet uirum.*
S· *Potin' es mihi uerum dicere?* D· *nihil facilius.*
S· *Num illi molestae quippiam hae sunt nuptiae,*
Huiusce propter consuetudinem hospitae?
D· *Nihil hercle: aut, si adeo, bidui est, aut tridui*
Haec sollicitudo: nostin'? deinde desinet:
Etenim ipsus secum eam rem reputauit uia.
S· *Laudo.* D· *dum licitum est illi, dumq· aetas tulit,*
Amauit: tum id clam: cauit, ne umquã infamiae Quid in amore cauendum.

Ea res sibi esset, ut uirum fortem decet.
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.
S. Subtristis uisust esse aliquantulum mihi.
D. Nihil propter hanc rem: sed est, quod suscẽset tibi.
S. Quidnam est? D. puerile est. S. quid est? D. nihil.
S. quin dic, quid est.
D. Ait, nimiũ parce facere sumptum. S. me ne? D. te.
Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem.
Num filio uidetur uxorem dare?
Quem, inquit, uocabo ad cenam meorum aequaliũ
Potissimum nunc? &, quod dicendum hic siet,
Tu quoque perparce nimium. non laudo. S. tace:
D. Commoui. S. ego, istaec recte ut fiant, uidero.
Quidnam hoc rei est? quidnam hic uolt uetera-
tor sibi? (put.
Nã, si hic mali est quidquã, hem illic est huic rei ca

ACTVS. III. SCENA. I

MYSIS. SIMO. DAVVS. LESBIA. GLYCERIVM

I TA pol quidem res est, ut dixti, Lesbia:
FIDELEM. HAVT. FERME. MVLIERI
INVENIAS. VIRVM
S. Ab Andria est ancilla haec. quid narras? D. ita est.
M. Sed hic Pamphilus S. quid dicit? M. firmauit fi-
dem. S. hem.
D. Vtinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit.
M. Nam, quod peperisset, iussit tolli. S. o Iuppiter,
Quid ego audio? actum est, siquidem haec uera
praedicat.

L. Bonum

L· Bonum ingenium narras adoleſcentis· M· optimũ·
Sed ſequere me intro, ne in mora illi ſis· L· ſequor·
D· Quod remedium nunc huic malo inueniam? S·
quid hoc?
Adeon' eſt demens? ex peregrina? iam ſcio: ah,
Vix tandem ſenſi ſtolidus· D· quid hic ſenſiſſe ait?
S· Haec primum affertur iam mihi ab hoc fallacia·
Hanc ſimulant parere, quo Chremetē abſterreant·
G· Iuno Lucina, fer opem, ſerua me, obſecro·
S· Hui, tam cito? ridiculum· poſtquam ante oſtium
Me audiuit ſtare, approperat· non ſat commode
Diuiſa ſunt tēporibus tibi, Daue, haec· D· mihin'?
S· Num immemores diſcipuli? D· ego, quid narres, i. Pamphili.
neſcio·
S· Hicine ſi me imparatum in ueris nuptijs
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet?
Nunc huius periclo fit· ego in portu nauigo· Metaphora ex maris quiete.

ACTVS · III · SCENA · II

LESBIA · SIMO · DAVVS

ADHVC Archilis, quae aſſolent, quaeq· oportet
Signa ad ſalutem eſſe, omnia huic eſſe uideo·
Nunc primum fac iſtaec ut lauet: poſt deinde,
Quod iuſſi ei dare bibere, &, quãtum imperaui,
Date: mox ego huc reuertor·
Per, ecaſtor, ſcitus puer natus eſt Pamphilo·
Deos quaeſo, ut ſit ſuperſtes: quando quidem
ipſe

ipse est ingenio bono,
Cumq. huic ueritus est optumae adolescenti facere iniuriam.

i. otiā.

S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum? D. quidnam id est?
S. Non imperabat coram, quid opus facto esset puerperae:
Sed, postquam egressa est, illis, quae sunt intus, clamat de uia.
O Daue, itan' contemnor abs te? aut ita ne tandem idoneus
Tibi uideor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis?
Saltem accurate, ut metui uidear certe, si resciuerim.
D. Certe hercle nunc hic se ipsus fallit, haud ego. S. edixin' tibi?

Verecundia liberi est, Serui uero metus.

Interminatus sum, ne faceres? num ueritus? quid rettulit?
Credon' tibi hoc, nunc peperisse hanc e Pamphilo?
D. Teneo, quid erret: quid ego agam, habeo. S. quid taces?
D. Quid credas? quasi non tibi renunciata sint haec sic fore.

hoc ad uerisimilitudinem spectat q. d. ego ipse intelligo.

S. Mihin' quisquam? D. eho, an tute intellexti hoc assimulari? S. irrideor.
D. Renunciatum est: nam, qui istaec tibi incidit suspicio?
S. Qui? quia te noram. D. quasi tu dicas, factum id consilio meo.

S. Certe

s. Certe enim ſcio. D. non ſatis me pernoſti etiam, qualis ſim, Simo.
s. Ego ne te? D. ſed, ſi quid narrare occoepi, continuo dari
Tibi uerba cenſes. s. falſo D. itaque hercle nihil iam mutire audeo.
s. Hoc ego ſcio unum, neminem peperiſſe hic. D. intellextin'?
Sed nihilo ſecius mox deferent puerum huc ante oſtium.
Id ego iam nunc tibi renuncio, here, futurum, ut ſis ſciens;
Ne hoc poſterius dicas, Daui factum conſilio, aut dolis.
Prorſus a me opinionem hanc tuam ego eſſe amotam uolo.
s. Vnde id ſcis? D. audiui, & credo. multa concurrunt ſimul,
Qui coniecturam hanc nunc facio. iam primũ haec ſe e Pamphilo
Grauidam dixit eſſe. inuentum eſt falſum. nunc, poſtquam uidet
Nuptias domi apparari, miſſa eſt ancilla illico
Obſtetricem accerſitum ad eam, & puerum ut afferret ſimul.
Hoc niſi fit, puerum ut tu uideas, nihil mouentur nuptiae. i. perturbantur.
s. Quid ais? cum intellexeras,
Id conſilij capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?

D. Quis

D. *Quis igitur eum ab illa abstraxit, nisi ego? nam omnes nos quidem*
Scimus, quam misere hanc amarit: nunc sibi uxorem expetit.
Postremo id mihi da negoti. tu tamen idem has nuptias
Perge facere ita, ut facis: & id spero adituros deos.

S. *Immo abi intro. ibi me opperire, &, quod parato opus est, para.*
Non impulit me, haec nunc omnino ut crederem.
Atque haut scio, an, quae dixit, sint uera omnia.
Sed paruipendo. illud mihi multo maxumum est,
Quod mihi pollicitus est ipsus gnatus. nūc Chremē
Conueniam: orabo gnato uxorem: si impetro,
Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?
Nam, gnatus quod pollicitus est, haut dubium est mihi,
Si nolit, quin eum merito possim cogere.
Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obuiam.

Pollicitatio est magnarum rerū promissio.

ACTVS . III . SCENA . III

SIMO . CHREMES

Iubemus verbis: volumus animo.

IVBEO Chremetē. C. oh, te ipsum quaerebā. S. & ego te. C. optato aduenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id uiso, tu ne, an illi insaniant.

S. Au-

S· *Ausculta paucis: &, quid ego te uelim, & tu quod quaeris, scies.*
C· *Ausculto: loquere, quid uelis.*
S· *Per ego te deos oro, & nostram amicitiã, Chreme,*
Quae incepta a paruis cum aetate accreuit simul;
Perq. unicam gnatam tuam, & gnatum meum,
Cuius tibi potestas summa seruandi datur;
Vt me adiuues in hac re, atque ita, uti nuptiae
Fuerant futurae, fiant. C· *ah, ne me obsecra:*
Quasi hoc te, orando, a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me, atque olim, cum dabã?
Si in rem est utrique, ut fiant, accersi iube.
Sed, si ex ea re plus mali est, quam commodi,
Vtrique; id oro te, in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit, Pamphiliq. ego sim pater.
S· *Immo ita uolo, itaq. postulo ut fiat, Chreme:*
Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat. C· *quid est?*
S· *Irae sunt inter Glycerium, & gnatum,* C· *audio.*
S· *Ita magnae, ut sperem posse auelli.* C· *fabulae.*
S· *Profecto sic est.* C· *sic hercle, ut dicam tibi:*
AMANTIVM *irae amoris integratio est.*
S· *Hem, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur,*
Dumq. eius lubido occlusa est contumelijs,
Prius quam harum scelera, & lacrumae confictae dolis
Reducant animum aegrotum ad misericordiam.
Vxorem demus. spero, consuetudine, &
Coniugio liberali deuinctum, Chreme,
Dehinc facile ex illis sese emersurum malis.

C· Tibi

C. Tibi ita uidetur. at ego non posse arbitror
Neque illũ hãc perpetuo habere, neque me perpeti.
S. Qui scis ergo istuc, nisi periclum feceris?
C. At, istuc periclum in filia fieri, graue est.
S. Nempe incommoditas denique huc omnis redit;
Si eueniat, quod di prohibeant, discessio.
At, si corrigitur; quot commoditates, uide:
Principio amico filium restitueris:
Tibi generum firmum, & filiae inuenies uirum.
C. Quid istuc? si istuc animum induxti esse utile,
Nolo tibi ullum commodum in me claudier.
S. Merito te semper maxumi feci, Chreme.
C. Sed, quid ais? S. quid? C. qui scis eos nunc discordare inter se?
S. Ipsus mihi Dauos, qui intimust eorũ cõsilijs, dixit:
Et is mihi suadet, nuptias, quantum queam; ut maturem.
Num censes faceret, filium nisi sciret eadem haec uelle?
Tute adeo iam eius audies uerba. heus euocate huc Dauom.
Sed eccum uideo ipsum foras exire.

ACTVS . III . SCENA . IV

DAVVS . SIMO . CHREMES

D. Ad te ibam. S. quidnam est?
Cur non accersitur? iam aduesperascit.
S. audin' tu illum?
Ego dudum non nihil ueritus sum, Daue, abs te,

grauissimo ab hoc pronomine plenaq. exordit.

ne

ne faceres idem,
Quod uolgus seruorũ solet, dolis ut me deluderes,
Propterea quod amat filius. D. *ego ne istuc facerem?* S. *credidi:*
Idq. adeo metuens uos celaui, quod nunc dicam. D. *quid?* S. *scies.*
Nam propemodum habeo iam tibi fidem. D. *tandem agnosti, qui siem.*
S. *Non fuerant nuptiae futurae.* D. *quid? non?* S. *sed ea gratia*
Simulaui, uos ut pertentarem. D. *quid ais?* S. *sic res est.* D. *uide.*
Numquam quiui ego istuc intellegere. uah, consilium callidum.
S. *Hoc audi. ut hinc te introire iussi, opportune hic fit mihi obuiam.*
D. *Hem, numnam periimus?* S. *narro, quae tu dudum narrasti mihi.*
D. *Quidnam audio?* S. *gnatam ut det, oro: uixq. id exoro.* D. *occidi.*
S. *Hem, quid dixti?* D. *optume, inquam, factum.* S. *nunc per hunc nulla est mora.*
C. *Domum modo ibo: ut apparentur, dicam: atque huc renuncio.*
S. *Nunc te oro, Daue, quoniam solus mihi effecisti has nuptias,*
D. *Ego uero solus.* S. *corrigere mihi gnatum, porro enitere.*
D. *Faciam hercle sedulo.* S. *potes nunc, dum animus irritatus est.*

dlicet quod mi= nime intendit. = Ab ira deducitur ut irascar.

D· Quiescas· S· age igitur: ubi nunc est ipsus? D· mirum, ni domi est·

S· Ibo ad eum, atque eadem haec, quae tibi dixi, dicam itidem illi· D· nullus sum·

Quid caussae est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar uia?

Nihil est preci loci relictũ· iã perturbaui omnia·

Herum fefelli: in nuptias conieci herilem filium:

Feci hodie, ut fierent, insperante hoc, atque inuito Pamphilo·

Hem, astutias· quod si quiessẽ, nihil euenisset mali·

Sed eccum ipsum uideo: occidi:

Vtinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me praecipitem darem·

ACTVS · III · SCENA · V

PAMPHILVS · DAVVS

uide ad pag. 47.
i. Scelestus. Antecedens
n. quamquam et rel.
quis uoce discrepat; interdum
tn, max. apud poetas
sensu, et significatione
consentiunt.

Metaphoricos a uase
futili, et rimoso ductu,
In summo periculo
usurpatum.

VBI illic scelus est, qui me perdidit? D· perij· P· atque hoc confiteor,

Iure obtigisse: quandoquidem tam iners, tam nulli consili

Sum· seruon' fortunas meas me commisisse futili?

Ergo pretium ob stultitiam fero: sed inultum id numquam a me auferet·

D· Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si euito hoc malum·

P· Sed, quid ego nunc dicam patri? negabon' uelle me, modo (deam?

Qui sũ pollicitus ducere? qua fiducia id facere au-

Nec, quid me nunc faciam, scio · D · nec de me equidem · atque id ago sedulo ·
Dicam aliquid iam inuenturum, ut huic malo aliquam producam moram · P · ohe ·
D · Visus sum · P · ehodum, bone uir, quid ais? uiden' me consilijs tuis
Miserum impeditum esse? D · at iam expediam · P · expedies? D · certe, Pamphile ·
P · Nempe ut modo · D · immo melius, spero · P · oh, tibi ego, ut credam, furcifer?
Tu rem impeditam, & perditam restituas? hem quo fretus sim,
Qui me hodie ex tranquillissima re coniecisti in nuptias ·
An non dixi hoc esse futurum? D · dixti · P · quid meritus es? D · crucem ·
Sed paullulum sine ad me ut redeam: iam aliquid dispiciam · P · hei mihi,
Cur non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, uti uolo?
Namque hoc tempus, praecauere mihi me, haud te ulcisci, sinit ·

graviş est interrogatio cum ironia.

Dispicere est, disquirere cum labore

ACTVS · IV · SCENA · I

CHARINVS · PAMPHILVS · DAVVS

HOCINE credibile est, aut memorabile,
Tanta uaecordia innata cuiquam ut siet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis

 Alterius

Alterius sua ut comparent commoda? ah,
Id ne est uerum? immo id genus est hominum pessumum,
In denegando modo queis pudor est paullulum:
Post, ubi iam tempus est promissa perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt, & timent.
Et tamen res cogit eos denegare. ibi
Tum impudentissima eorum oratio est:
Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi? heus,
Proxumus sum egomet mihi. attamen, ubi fides est,
Si roges, nihil pudet. hic, ubi opus est,
Non uerentur; illic, ubi nihil opus est, ibi uerentur.
Sed, quid agam? adeam ne ad eum, & cum eo iniuriam hanc expostulem?
Mala ingeram multa. atque aliquis dicat, nihil promoueris.
Multum. molestus certe ei fuero, atque animo morem gessero.
P. *Charine, & me, & te imprudens, nisi quid di respiciunt, perdidi.*
C. *Ita ne imprudens? tandem inuenta est caussa: soluisti fidem.*
P. *Quid tandem?* C. *etiam nunc me seducere istis dictis postulas?*
alij legunt subducere.
P. *Quid istuc est?* C. *postquam me amare dixi, complacita est tibi.*
Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectaui meo.

P. *Falsus*

P. Falſus es. C. non tibi ſatis eſſe hoc uiſum ſolidum eſt gaudium,
Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?
Habeas. P. habeam? ah, neſcis, quantis in malis uerſer miſer,
Quantasq. hic ſuis conſilijs mihi confecit ſollicitudines
Meus carnufex. C. quid iſtuc tam mirum eſt? de te exemplum capit.
P. Haud iſtuc dicas, ſi cognoris uel me, uel amorem meum.
C. Scio, cum patre altercaſti dudum, & is nunc propterea tibi
Suſcenſet, nec te quiuit hodie cogere, illam ut duceres,
P. Immo etiam, quo tu minus ſcis aerumnas meas,
Hae nuptiae non apparabantur mihi,
Nec poſtulabat nunc quiſquam uxorem dare:
C. Scio: coactus tua uoluntate es. P. mane,
Nondum ſcis. C. ſcio equidem illam ducturum eſſe te.
P. Cur me enicas? hoc audi. numquam deſtitit
Inſtare, ut dicerem eſſe ducturum patri:
Suadere, orare, uſque adeo donec perpulit.
C. Quis homo iſtuc? P. Dauos. C. Dauos? P. Dauos omnia.
C. Quamobrem? P. neſcio. niſi mihi deos ſatis
Scio fuiſſe iratos, qui auſcultauerim.
C. Factum eſt hoc, Daue? D. factum eſt. C. hem, quid

 ais,

ais, scelus?

At tibi dij dignum factis exitium duint.

Eho, dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias

Inimici uellent, quod, ni hoc, consilium darent?

D. *Deceptus sum, at non defatigatus.* C. *scio.*

D. *Hac non successit, alia aggrediemur uia:*

Nisi id putas; quia primo processit parum,

Non posse iam ad salutem conuerti hoc malum.

P. *Immo etiam: nam satis credo, si aduigilaueris,*

Ex unis geminas mihi conficies nuptias.

D. *Ego, Pamphile, hoc tibi pro seruitio debeo,*

Conari manibus, pedibus, noctesque, & dies

Capitis periculum adire, dum prosim tibi.

Tuum est, si quid praeter spem euenit, mihi ignoscere.

Parum successit, quod ago: at facio sedulo.

Vel melius tute reperi, me missum face.

P. *Cupio. restitue in quem me accepisti locum.*

D. *Faciam.* P. *at iam hoc opus est.* D. *hem, st, mane: crepuit a Glycerio ostium.*

P. *Nil ad te.* D. *quaero.* P. *hem, nunccine demum?*

D. *at iam hoc tibi inuentum dabo.*

ACTVS . IV . SCENA . II

MYSIS . PAMPHILVS . CHARINVS . DAVVS

Iam, *ubi ubi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum*

Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi,

noli

Hoc semp[er] inui[...] ... ut Virg. Dic mihi Damoeta ... (handwritten marginal note)

Ironice dic[...] (handwritten marginal note)

pro seruitute. Off[icium] fidelis serui (handwritten marginal note)

i. sine dolo, (handwritten marginal note)

i. omnia mihi salua redde. (handwritten marginal note)

Silentij nota. (handwritten marginal note)

Molli, et blanda oratio. (handwritten marginal note)

noli te macerare·

P· Mysis· M· quid est? hem, Pamphile, optume mihi
te offers· P· quid est?

M· Orare iussit, si se ames, hera, iam ut ad sese uenias:

Videre ait te cupere· P· uah, perij: hoc malum integrascit·

Siccine me, atque illam opera tua nunc miseros sollicitari?

Nam iccirco accersor, nuptias quod mi apparari sensit·

C· Quibus quidem quam facile poterat quiesci, si hic quiesset·

D· Age, si hic non insanit satis sua sponte, instiga· M· atque edepol

Ea res est, proptereaq· nunc misera in maerore est· P· Mysis,

Per omnes tibi adiuro deos, numquam eam me deserturum,

Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines·

Hanc mihi expetiui, contigit: conueniunt mores: ualeant,

Qui inter nos dissidium uolunt: hanc, nisi mors, mihi adimet nemo·

C· Resipisco· P· non Apollinis magis uerum, atque hoc, responsum est·

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,

Quo minus hae fierent nuptiae; uolo· sed, si id non poterit;

Id faciam, in procliui, quod est, per me stetisse ut credat.

Quis uideor? C. miser aeque, atque ego. D. consilium quaero. C. fortis es.

Scio, quid conere. D. hoc ego tibi profecto effectum reddam.

P. Iam hoc opus est. D. quin iam habeo. C. quid est? D. huic, non tibi, habeo; ne erres.

C. Sat habeo. P. quid facies? cedo. D. dies hic mi ut sit satis, uereor,

Ad agendum: ne uacuum esse me nunc ad narrandum credas.

Proinde hinc uos amolimini: nam mi impedimento estis.

P. Ego hanc uisam. D. quid tu? quo hinc te agis. C. uerum uis dicam? D. immo etiam

Narrationis incipit mihi initium. C. quid me fiet?

D. Eho, impudens, non satis habes, quod tibi diecu lam addo,

Quantum huic promoueo nuptias? C. Daue, attamen. D. quid ergo?

C. Vt ducam. D. ridiculum. C. huc face ad me ut uenias, si quid poteris.

D. Quid ueniam? nihil habeo. C. attamen, si quid,

Vix commode nunc fieri potest. D. age, ueniam. C. si quid,

Domi ero. D. Tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire hic.

M. Quapropter? D. ita facto opus est. M. matura. D. iam inquam hic adero.

ACTVS

MYSIS

NIHIL ne esse proprium cuiquam? Dij,
uostram fidem.
Summum bonum esse herae putabam hũc
Pamphilum,
Amicum, amatorem, uirum, in quouis loco
Paratum: uerum ex eo nunc misera quem capit
Dolorem? facile hic plus mali est, quam illic
boni.
Sed Dauus exit: mi homo, quid istuc obsecro
est?
Quo portas puerum?

Amicus animi est
Amator, corporis.

ACTVS · IV · SCENA · IV

DAVVS · MYSIS

MYSIS, nunc opus est tua
Mihi ad hanc rem exprompta malitia,
atque astutia.
M· Quidnam incepturus? D· accipe a me hunc
ocius,
Atque ante nostram ianuam appone. M· ob-
secro,
Humi ne? D· ex ara hinc sume uerbenas tibi,
Atque eas substerne. M· quamobrem id tute non
facis?
D· Quia, si forte opus sit ad herum iusiurandum mihi
Non apposuisse, ut liquido possim. M· intelligo.
Noua nunc religio in te istaec incessit, cedo.

Servi nulla nullius
nova religio est.

D. Moue ocius te, ut, quid agam, porro intellegas.
Pro Iuppiter. M. quid? D. ſponſae pater interuenit.
Repudio conſilium, quod primum intenderam.
M. Neſcio, quid narres. D. ego quoque hinc ab dextera
Venire me aſſimulabo. tu, ut ſubſeruias
Orationi, utcumque opus ſit uerbis, uide.
M. Ego, quid agas, nihil intellego: ſed, ſi quid eſt,
Quod mea opera opus ſit uobis, aut tu plus uides,
Manebo, ne quod uoſtrum remorer commodum.

ACTVS. IV. SCENA. V

CHREMES. MYSIS. DAVVS

REVERTOR, poſtquam, quae opus fuere ad nuptias
Gnatae, paraui, ut iubeam accerſi. ſed, quid hoc?
Puer hercle eſt. mulier, tun' apposuiſti hunc? M. ubi
Illic eſt? C. non mihi reſpondes? M. hem, nuſquã eſt. uae miſerae mihi,
Reliquit me homo, atque abijt. D. di, uoſtram fidem,
Quid turbae eſt apud forum? quid illic hominum litigant?
Tum annona cara eſt. quid dicam aliud, neſcio.
M. Cur tu obſecro hic me ſolam? D. hem, quae haec eſt fabula?

Eho,

Eho, Mysis, puer hic unde est? quis ue huc attulit?
M· *Satin' sanus es, qui me id rogites?* D· *quem igitur rogem,*
Qui hic neminem alium uideã? C· *miror, unde sit.*
M· *Dicturan' quod rogo?* M· *au.* D· *concede ad dexteram.* Interiectio est consternatae mentis.
M· *Deliras. non tute ipse?* D· *uerbum si mihi*
Vnum, praeterquam quod te rogo, faxis, caue. pro, ~~post~~ praeterea
M· *Male dicis.* D· *unde est? dic clare.* M· *a nobis.* D· *ha ha hae.* Comminarij ornatus sermo.
Mirum uero, impudenter mulier si facit.
C· *Ab Andria est ancilla haec, quantum intellego.*
D· *Adeon' uidemur uobis esse idonei,*
In quibus sic illudatis? C· *ueni in tempore.*
D· *Propera adeo puerum tollere hinc ab ianua.*
Mane: caue, quoquam ex istoc excessis loco.
M· *Dij te eradicent. ita me miseram territas.*
D· *Tibi ego dico, an non?* M· *quid uis?* D· *at etiam rogas?*
Cedo, cuium puerum hic apposuisti, dic mihi.
M· *Tu nescis?* D· *mitte id, quod scio: dic, quod rogo.*
M· *Vestri.* D· *cuius nostri?* M· *Pamphili.* D· *hem, quid Pamphili?*
M· *Eho, an non est?* C· *recte ego semper fugi has nuptias.*
D· *O facinus animaduertendum.* M· *quid clamitas?*
D· *Quem ne ego heri uidi ad uos afferri uesperi?*
M· *O hominem audacem.* D· *uerum. uidi Cantharam*

Suffarcinatam. M. Dijs pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot affuerunt liberae.
D. Ne illa illũ haud nouit, cuius caussa haec incipit.
Chremes, si positum puerum ante edes uiderit,
Suam gnatã non dabit: tanto hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. D. nunc adeo, ut tu sis sciens,
Ni puerum tollis, iam iam ego hunc mediam in uiam
Prouoluam, teq. ibidem peruoluam in luto.
M. Tu pol homo non es sobrius. D. FALLACIA ALIA. ALIAM. TRVDIT. iam susurrari audio
Ciuem Atticã esse hãc. C. hem. D. coactus legibus
Eã uxorẽ ducet. M. au, obsecro, an non ciuis est?
C. Iocularium in malum insciens paene incidi.
D. Quis hic loquitur? o Chreme, per tempus aduenis:
Ausculta. C. audiui iã omnia. D. an ne tu omnia?
C. Audiui inquam a principio. D. audistin', obsecro? hem
Scelera: hãc iam oportet in cruciatũ hinc abripi.
Hic ille est: non te credas Dauom ludere.
M. Me miseram: nihil pol falsi dixi, mi senex.
C. Noui rem omnem. sed est Simo intus? D. intus est.
M. Ne me attingas, scelestе. si pol Glycerio non omnia haec.
D. Eho inepta, nescis, quid sit actũ. M. quid sciam?
D. Hic socer est. alio pacto haud poterat fieri,
Vt sciret haec, quae uolumus. M. hem praediceres.
D. Paullum interesse censes, ex animo omnia,
Vt fert natura, facias, an de industria?

ACTVS

CRITO · MYSIS · DAVVS

In hac habitasse platea dictum est Chrysidem,
Quae se inhoneste optauit parare hic diuitias
Potius, quam in patria honeste paupera uiuere.
Eius morte ea ad me lege redierunt bona.
Sed, quos percuncter, uideo. saluete. M. obsecro,
Quem uideo? est ne hic Crito, sobrinus Chrysidis?
Is est. C. o Mysis, salue. M. saluos sis, Crito.
C. *Itan', Chrysis? hem. M. nos quidem pol miseras perdidit.*
C. *Quid uos? quo pacto hic? satin' recte. M. nos ne? sic.*
Vt quimus, aiunt; quando, ut uolumus, non licet.
C. *Quid Glycerium? iam hic suos parentes repperit?*
M. *Vtinam.* C. *an nondum etiam? haut auspicato huc me appuli:*
Nam pol, si id scissem, numquam huc tetulissem pedem:
Sēper enim dicta haec eius, atque habita est soror:
Quae illius fuerunt, possidet. nunc me hospitem
Lites sequi, quam hic mihi sit facile, atque utile,
Aliorum exempla commonent. simul arbitror,
Iam esse aliquem amicum, & defensorem ei: nam fere
Grandiuscula iam profecta est illinc. clamitent,
Me sycophantam hereditates persequi,
Mendicum. tum, ipsam despoliare non licet.
M. *O optume hospes, pol, Crito, antiquum obtines:*

C. Duc me ad eam, quando huc ueni, ut uideam. M. maxume.

D. Sequar hos: nolo me in tempore hoc uideat senex.

ACTVS . V . SCENA . I

CHREMES . SIMO

SATIS iam, satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea.

Satis pericli coepi adire: orandi iam finem face.

Dum studeo obsequi tibi, paene illusi uitam filiae.

S. Immo enim nunc cum maxime abs te oro, atque postulo, Chreme,

Vt beneficium, uerbis initum dudum, nunc re comprobes.

C. Vide, quam iniquus sis prae studio. dum efficias id, quod cupis,

Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas:

Nam, si cogites, remittas iam me onerare iniurijs.

S. Quibus? C. ah, rogitas? perpulisti me, ut homini adolescentulo,

In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,

Filiam darem in seditionem, atque incertas nuptias,

Eius labore, atque eius dolore gnato ut medicarer tuo.

Impetrasti: incepi, dum res tetulit: nunc non fert:

fert: feras.

Illam hinc ciuem esse aiunt: puer est natus: nos missos face.

S. Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere,

Quibus id maxume utile est, illum esse quamdeterrimum.

Nuptiarum gratia haec sunt ficta, atque incepta omnia.

Vbi ea caussa, quamobrem haec faciunt, erit adempta his, desinent.

C. Erras. cum Dauo egomet uidi iurgantem ancillam. S. scio C. at

Vero uoltu; cum, ibi me adesse, neuter tum praesenserat.

S. Credo; &, id facturas, Dauus dudum praedixit mihi.

Et nescio quid tibi sum oblitus hodie, ac uolui dicere.

ACTVS · V · SCENA · II

DAVVS. CHREMES. SIMO. DROMO

D. ANIMO iam nunc otioso esse impero. CH. hem Dauom tibi.

S. Vnde egreditur? D. meo praesidio, atque hospitis. S. quid illud mali est?

D. Ego commodiorem hominem, aduentum, tempus non uidi. S. scelus,

Quemnam hic laudat? D. omnis res est iam in uado.

do. S. cesso alloqui?

D. Herus est: quid agam? S. o salue, bone uir. D. hem, Simo, o noster Chreme,

Omnia apparata iam sunt intus. CH. curasti probe.

Indignat. dicit.

D. Vbi uoles, accerse. S. bene sane. id enimuero hic nunc abest.

Etiam tu hoc respondes, quid istic tibi negotij est? D. mihin'? S. ita.

D. Mihi ne? S. tibi ego. D. modo introij. S. quasi ego, quam dudum, rogem.

D. Cum tuo gnato una. S. an ne est intus Pamphilus? crucior, miser.

Eho, non tu dixti esse inter eos inimicitias, carnufex?

D. Sunt. S. cur igitur hic est? CH. quid illum censes? cum illa litigat.

Chremes Simonem irridet.

D. Immo uero indignum, Chreme, iam facinus faxo ex me audias.

Nescio quis senex modo uenit: ellum, confidens, catus:

Cum faciem uideas, uidetur esse quanti uis preti:

Tristis seueritas inest in uoltu, atque in uerbis fides.

S. Quidnam apportas? D. nil equidem, nisi quod illum audiui dicere.

S. Quid ait tandem? D. Glycerium se scire esse hanc ciuem Atticam.

S. Hem, Dromo, Dromo. D. quid est? S. Dromo D. audi. S. uerbum si addideris, Dromo.

D. Audi,

D· Audi, obſecro· DR· quid uis? S· ſublimem hunc intro rape, quantum potes·

DR· Quem? S· Dauom· D· quamobrem? S· quia lubet· rape, inquam· D· quid feci? S· rape·

D· Si quidquam mentitum inuenies, occidito· S· nihil audio·

Ego iam te commotum reddam· D· tametſi hoc uerum eſt· S· tu tamen

Cura aſſeruandum uinctum, atque audin'? quadrupedem conſtringito·

Age nunc: iam ego pol hodie, ſi uiuo, tibi

Oſtendam, herum, quid ſit pericli, fallere, &

Illi patrem· CH· ah, ne ſaeui tantopere· S· Chreme,

Pietatem gnati· non ne te miſeret mei?

Tantum laborem capere ob talem filium?

Age, Pamphile: exi, Pamphile: ecquid te pudet?

ACTVS · V · SCENA · III

PAMPHILVS · SIMO · CHREMES

QVIS me uolt? perij· pater eſt· S· quid ais, omnium? C· ah,

Rē potius ipſam dic, ac mitte male loqui·

S· Quaſi quidquam in hunc iam grauius dici poſſiet·

Ain' tandē? ciuis Glycerium eſt? P· ita praedicāt?

S· Ita praedicant? ingentem confidentiam·

Num cogitat, quid dicat? num facti piget?

Num eius color pudoris ſignum uſquam indicat?

Adeon' impotenti eſſe animo, ut, praeter ciuium

Morem, atque legem, & ſui uoluntatem patris,

.i. cupiat.

Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
P. Me miserum. S. modo ne id demum sensti, Pāphile?
Olim istuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiendum tibi,
Eodem die istuc uerbum uere in te accidit.
Sed, quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectam huius sollicito amentia? an
Pro huius ego ut peccatis supplicium sufferam?
Immo habeat, ualeat, uiuat cum illa. P. mi pater.
S. Quid, mi pater? quasi tu huius indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inuenti inuito patre:
Adducti, qui illam ciuem hinc dicant: uiceris.
P. Pater, licet ne pauca? S. quid dices mihi?
C. Attamen, Simo, audi. S. ego audiam? quid ego audiam,
Chreme? C. attamen dicat, sine. S. age dicat, sino.
P. Ego, me amare hanc, fateor. si id peccare est, fateor id quoque. (ra:
Tibi pater me dedo: quiduis oneris impone: impe
Vis me uxorem ducere? hanc amittere? ut potero, feram.
Hoc modo te obsecro, ut ne credas a me allegatum hunc senem.
Sine me expurgem, atque illum huc coram adducam. S. adducas? P. sine, pater.
C. Aequum postulat: da ueniam. P. sine te hoc exorem. S. sino.
Quiduis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.
C. Pro peccato magno paullū supplicij satis est patri.

CRITO · CHREMES · SIMO · PAMPHILVS

MITTE orare · una harum quaeuis caussa me, ut faciam, monet.

Vel tu, uel quod uerum est, uel quod ipsi cupio Glycerio.

CH· Andrium ego Critonem uideo? & certe is est.

CR· saluos sis, Chreme.

CH· Quid tu Athenas, insolens.? R· euenit· sed hicine est Simo?

CH· Hic est· S· me ne quaeris? eho tu Glycerium hinc ciuem esse ais?

CR· Tu negas? S· ita ne huc paratus aduenis? CR· quare? S· rogas?

Tu ne impune haec facias? tu ne hic homines adolescentulos,

Imperitos rerum, eductos libere, in fraudē illicis?

Sollicitando, & pollicitando eorum animos lactans? CR· sanun' es?

S· Ac meretricios amores nuptijs conglutinas?

P· Perij: metuo, ut substet hospes· CH· si Simo hunc noris satis,

Non ita arbitrere· bonus hic est uir· S· hic uir sit bonus? Ironia.

Ita ne attemperate uenit hodie in ipsis nuptijs,

Vt ueniret antehac numquam? est uero huic credendum, Chreme.

P· Ni metuam patrem, habeo pro illa re, illum quod moneam probe.

S· Sycophanta· CR· hem· CH· sic Crito est hic: mitte·

te. CR. uideat, qui fiet.

Si mihi pergit, quae uolt dicere, ea, quae non uolt, audiet.

Ego istaec moueo, aut curo? non tuum malum aequo animo feres?

Nam, ego quae dixi, uera, an falsa audieris, iam sciri potest.

Atticus quidam olim, naui fracta, apud Andrum eiectus est;

Et istaec una parua uirgo. tum ille egens forte applicat

Primum ad Chrysidis patrem se. S. fabulam inceptat. CH. sine.

CR. Ita ne uero obturbat? CH. perge. CR. tum is mihi cognatus fuit,

Qui eum recepit. ibi ego audiui ex illo, sese esse Atticum.

Is ibi mortuus est. CH. eius nomen? CR. nomen tam cito tibi?

Phania. CH. hem, perij. CR. uerum hercle opinor fuisse Phaniam.

Hoc certo scio, Rhamnusium se aiebat esse. CH. o Iuppiter.

CR. Eadem haec Chreme multi alij in Andro tum audiuere. CH. utinam id fiet,

Quod spero. eho dic mihi, quid is eam tum, Crito, Suam ne aiebat esse? CR. non. CH. cuiam igitur? CR. fratris filiam.

CH. Certe mea est. CR. quid ais? S. quid tu? quid ais? P. arrige aures, Pamphile.

S. Qui

S· Qui credis? CH· Phania ille frater meus fuit. S· noram, & scio.
CH· Is hinc bellum fugiens, meq· in Asiam persequens, proficiscitur.
Tum illam hic relinquere est ueritus· post illa nunc primum audio,
Quid illo sit factum· P· uix sum apud me: ita animus commotus est metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tā repētino bono.
S· Ne istam multimodis tuam inueniri gaudeo. P· credo, pater.
CH· At mihi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet· P· dignus es
Cum tua relligione odio· nodum in scirpo quaeris· CR· quid istud est?
CH· Nomen non conuenit· CR· fuit hercle aliud huic paruae· CH· quod, Crito?
Numquid meministi? CR· id quaero· P· ego ne huius memoriam patiar meae
Voluptati obstare, cum ego possim in hac re medicari mihi?
Non patiar· heus, Chreme: quod quaeris, Pasibula est· CR· ipsa est· CH· ea est·
P· Ex ipsa millies audiui. S· omnes nos gaudere hoc, Chreme,
Te credo credere· CH· ita me dij ament, credo. P· quid restat, pater?
S· Iamdudum res reduxit me ipsa in gratiam· P· o lepidum patrem·
De uxore ita, ut possedi, nihil mutat Chremes.

CH. caussa optuma est,
Nisi quid pater aliud ait. P. nempe. S. scilicet.
CH. dos, Pamphile, est
Decem talenta. P. accipio. CH. propero ad filiam. eho mecum, Crito:
Nam illam me haud nosse credo. S. cur non illam huc transferri iubes?
P. Recte admones. Dauo istuc dedam iam negoti. S. non potest.
P. Qui? S. quia habet aliud magis ex sese, & maius. P. quidnam? S. uinctus est.
P. Pater, non recte uinctus est. S. haud ita iussi. P. iube solui, obsecro.
S. Age fiat. P. at matura. S. eo intro. P. o faustum, & felicem diem.

exclamatio Amatoris.

ACTVS. V. SCENA. V

CHARINVS. PAMPHILVS

PROVISO, quid agat Pamphilus: atque eccum. P. aliquis forsan me putet
Non hoc putare uerum: at mihi nunc sic esse hoc uerum lubet.
Ego uitam deorum propterea sempiternam esse arbitror,
Quod uoluptates eorum propriae sunt. nam mihi immortalitas
Parta est, si nulla huic aegritudo gaudio intercesserit.
Sed, quem ego potissimum exoptem nunc mihi, cui haec

haec narrem, dari?

C· Quid illuc gaudi est? P· Dauom uideo· nemo est, quem mallem, omnium:

Nam hunc scio mea solide solum gauisurũ gaudia·

ACTVS · V · SCENA · VI

DAVVS · PAMPHILVS · CHARINVS

PAMPHILVS ubinam hic est? P· Daue· D· quisnam homo est? P· ego sum· D· o Pamphile·

P· Nescis, quid mihi obtigerit? D· certe: sed, quid mihi obtigerit, scio·

P· Et quidem ego· D· more hominum euenit, ego ut quod sum nactus mali,

Prius resciisceres tu, quam ego, tibi quod euenit boni·

P· Mea Glycerium suos parentes repperit· D· o factum bene·

C· Hem· P· pater amicus summus nobis· D· quis? P· Chremes· D· narras probe·

P· Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam· C· num ille somniat

Ea, quae uigilans uoluit? P· tum de puero, Daue? D· ah desine: Prouerbiũ ex re natũ.

Solus est, quem diligunt dij· C· saluus sum, si haec uera sunt·

Colloquar· P· quis homo est? Charine, in tempore ipso mi aduenis·

C· Bene factum· P· hem, audisti? C· omnia· age, me gratulatio compẽdiosa.

in tuis ſecundis reſpice·

Tuus eſt nunc Chremes· factum, quae uoles, ſcio omnia·

P· Memini: atque adeo longum eſt, nos illum exſpectare, dum exeat·

laetus comoediae exitus.

Sequere hac me· intus apud Glycerium eſt nunc· tu, Daue, abi domum,

Propera, accerſe, hinc qui auferant eam: quid ſtas? quid ceſſas? D· eo·

Ne exſpectetis, dum exeant huc: intus deſpondebitur:

Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtet·

PLAVDITE

EVNVCHVS
TERENTII

ACTA · LVDIS · MEGALENSIB ·

OSTVMIO . ALBINO . ET . L . CORNELIO . MERVLA . AED . CVR .

EGERE

L · AMBIVIVS · TVRPIO

L · ATILIVS · PRAENESTINVS

TIBIIS · DVABVS · DEXTRIS

GRAECA · MENANDRV

ACTA . II

MODOS . FECIT

FLACCVS · CLAVDI

M · VALERIO · C · FANNIO · COS ·

C. SVLPICII. APOLLINARIS

PERIOCHA

*S*ORORE M *falso dictitatam Thaidis,*
Id ipsum ignorans, miles aduexit Thraso,
Ipsiq. donat. erat haec ciuis Attica.
Eidem eunuchum, quem emerat, transdi iubet
Thaidis amator Phaedria, ac rus ipse abit,
Thrasoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phaedriae puellulam
Cum deperiret dono missam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur: suadet Parmeno:
Introijt: uitiat uirginem: sed Atticus
Ciuis repertus frater eius, collocat
Vitiatam Ephebo: Phaedriam exorat Thraso.

Ἄδηλον.

*M*ERETRIX *adolescentem, cuius mutuo amore tenebatur, exclusit: eiq. reuocato exclusionis caussas reddidit. eius frater minor natu uirginem, quam miles meretrici dono miserat, amare coepit; deductusq. in domum meretricis pro eunucho, uitiat. re itaque cognita, cum illusam se meretrix doleret, ab eodem adolescente placatur: interuentuq. fratris eius ciuem cognitam Atheniensem ducit uxorem. miles quoque in partem meretricij amoris receptus illuditur.*

EVNVCHI. PERSONAE

EARVMQ. INTERPRETATIO

LACHES, ſenex, ἀπὸ τῆς λήξεως, ab hereditate, lite, patrimonio.

PHAEDRIA, adoleſcens, ἀπὸ τοῦ φαιδροῦ, ab hilaritate.

CHAEREA, adoleſcens, ὁ χαίρων, laetus.

PARMENO, ſeruus, μένων παρὰ τῷ δεσπότῃ, ab aſſiduitate.

DORVS, eunuchus, ἀπὸ τοῦ δώρου, a munere, dono.

DORIAS, ancilla.

THAIS, meretrix, διὰ τὸ θεατὸν ἤγουν θαυμαστὸν ἔχειν τὸ εἶδος, de formae ſpecie, quae omnium ora in ſe conuerteret.

PYTHIAS, ancilla, ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι, a ſciſcitando.

THRASO, miles, ἀπὸ τῆς θρασύτητος, ab audacia.

SANGA, lixa, a quodam Phrygiae fluuio.

GNATHO, paraſitus, ἀπὸ τῶν γνάθων, a buccis.

CHREMES, adoleſcens. uide Andr.

SOPHRONA, nutrix, ἀπὸ τῆς σώφρονος, caſta & proba.

ANTIPHO, adoleſcens, ἀπὸ τοῦ ἀντὶ κ' φάους, lumen contra adferens.

Sequentium perſonarum tantum hic mentio fit.

STRATO, militis ſeruus, ἀπὸ τοῦ στρατοῦ, exercitu.

SIMALIO, ſeruus, ἀπὸ τοῦ σιμοῦ.

DONAX, ſeruus, ἀπὸ τοῦ δόνακος, fiſtula, ſeu calamo piſcatorio.

SYRISCVS, ſeruus, deminutiuum a Syro.

SANNIO, ſeruus, ἀπὸ τοῦ σαννίου, ab haſta.

PAMPHILA, adoleſcentula, omnibus amica.

SI quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis,
Quam plurimis, & minime multos laedere;
In his poeta hic nomen profitetur ſuum.
Tum, ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimauit eſſe, ſic exiſtimet,
Reſponſum, non dictum eſſe, quia laeſit prior,
Qui bene uertendo, & eaſdem ſcribendo male, ex
Graecis bonis Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phaſma nunc nuper dedit,
Atque in Theſauro ſcripſit, cauſſam dicere
Prius, unde petitur aurum, quare ſit ſuum,
Quam illic, qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi,
Aut unde in patrium monumentum peruenerit.
Dehinc ne fruſtretur ipſe ſe, aut ſic cogitet;
Defunctus iam ſum, nihil eſt quod dicat mihi:
Is ne erret, moneo, & deſinat laceſſere:
Habeo alia multa, quae nunc condonabitur;
Quae proferentur poſt, ſi perget laedere
Ita, ut facere inſtituit. nunc, quam acturi ſumus
Menandri Eunuchum, poſtquam aediles emerunt,
Perfecit, ſibi ut inſpiciundi eſſet copia.
Magiſtratus cum ibi eſſet, occoepta eſt agi.
Exclamat, furem, non poetam: fabulam
Dediſſe, & nihil dediſſe uerborum tamen:
Colacem eſſe Naeui, & Plauti ueterem fabulã,
Paraſiti perſonam inde ablatam, & militis.
Si id eſt peccatum, peccatum imprudentia eſt

Excuſat cur in aduerſarium inuehatur.

pro, ille.

Narratio.

pec. prius nomen eſt: poſterius uerbum.

Poetae, non quo furtum facere studuerit.
Id ita esse, uos iam iudicare poteritis. Purgatio.
Colax Menandri est: in ea est parasitus Colax, latine adulator.
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam
Ex Graeca: sed, eas fabulas factas prius
Latinas scisse sese, id uero pernegat.
Quod si personis ijsdem uti alijs non licet:
Qui magis licet currentes seruos scribere, „ Comicorum Materia personae
Bonas matronas facere, meretrices malas, „
Parasitum edacem, gloriosum militem, „
Puerum supponi, falli per seruum senem,
Amare, odisse, suspicari? denique
NVLLVM est iam dictum, quod non dictum sit prius.
Quare aequum est uos cognoscere, atque ignoscere,
Quae ueteres factitarunt, si faciunt noui.
Date operam, & cum silentio animum attendite,
Vt pernoscatis, quid sibi Eunuchus uelit.

ACTVS

PHAEDRIA · PARMENO

QVID igitur faciam? non eam? ne nunc quidem,
Cum accersor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit, reuocat. redeam? non, si me obsecret.
PA. Si quidem hercle possis, nil prius, neque fortius:
Verum, si incipies, neque perficies nauiter:
Atque, ubi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, ultro ad eam uenies, indicans
Te amare, & ferre non posse: actum est, illicet,
Peristi: eludet, ubi te uictum senserit.
Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita,
Here. quae res in se neque consilium, neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore haec omnia insunt uitia: iniuriae,
Suspiciones, inimicitiae, indutiae,
Bellum, pax rursum. incerta haec si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas:
Ego ne illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo:
Mori me malim: sentiet qui uir siem:
Haec uerba mehercule una falsa lacrumula,

Quam

Quam oculos terendo misere, uix ui expresserit,
Restinguet: & te ultro accusabis, & ei dabis
Vltro supplicium. PH· *indignum facinus. nunc ego &*
Illam scelestam esse, & me miserum sentio:
Et taedet: & amore ardeo: & prudens, sciens, Amoris uehementia.
Viuus, uidensq. pereo: nec, quid agam, scio.
PA· *Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas* perstat in Meta=
taphora bellica.
Minimo. si nequeas paullulo, at quanti queas:
Et ne te afflictes. PH· *ita ne suades?* PA· *si sapis:*
Neque, praeterquam quas ipse amor molestias
Habet, addas; & illas, quas habet, recte feras.
Sed ipsa egreditur nostri fundi calamitas:
Nam, quod nos capere oportet, haec intercipit.

ACTVS · I · SCENA · II

THAIS · PHAEDRIA · PARMENO

M ISERAM *me, uereor ne illud grauius Phaedria*
Tulerit; ne ue aliorsum, atque ego feci, acceperit,
Quod heri intromissus non est. PH· *totus, Parmeno,*
Tremo, horreoque, postquam adspexi hanc. PA· *bono animo es:*
Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.
T· *Quis hic loquitur? ehem, tun hic eras, mi Phaedria?*

Quid

Quid hic stabas? cur non recta introibas? PA. ceterum
De exclusione uerbum nullum. T. quid taces?
PH. Sane quia uero hae mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. T. missa istaec face.
PH. Quid missa? o Thais, Thais, utinam esset mihi
Pars aequa amoris tecum, ac pariter fieret, ut
Aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego istuc abs te factum nihili penderem.
T. Ne crucia te obsecro, anime mi, mi Phaedria.
Non pol, quo quemquam plus amen, aut diligã,
Eo feci: sed ita erat res: faciundum fuit.
PA. Credo, ut fit, misera prae amore exclusit hunc foras.
T. Sicine agis, Parmeno? age: sed, huc qua gratia
Te accersi iussi, ausculta. PH. fiat. T. dic mihi
Hoc primum, potin' est hic tacere? PA. egone? optume.
Verum heus tu, lege hac tibi meam adstringo fidẽ:
Quae uera audiui, taceo, & contineo optume:
Sin falsum, aut uanum, aut fictum est, continuo palam est.
Metaph.a a uase futili. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri si uis, uera dicito.
Narratio. T. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
PA. Potest taceri hoc. T. ibi tum matri paruolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. PH. ciuem ne? T. arbitror:
Certum non scimus: matris nomen & patris

Dicebat

Dicebat ipſa: patriam, & ſigna cetera
Neque ſcibat, neque per aetatem etiã potuerat.
Mercator hoc addebat, e praedonibus,
Vnde emerat, ſe audiſſe abreptam e Sunio.
Mater ubi accepit, coepit ſtudioſe omnia
Docere, educere, ita uti ſi eſſet filia.
Sororem plerique eſſe credebant meam.
Ego cum illo, quo cum uno rem habebam tum, hoſpite
Abij huc: qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia.
PA. Vtrumque hoc falſum eſt: effluet. T. qui iſtuc? PA. quia
Neque tu uno eras contenta, neque ſolus dedit:
Nam hic quoque bonam, magnamq. partem ad te attulit.
T. Ita eſt. ſed ſine me peruenire, quo uolo.
Interea miles, qui me amare occoeperat,
In Cariam eſt profectus. te interea loci
Cognoui. tute ſcis, poſtilla quam intumum
Habeam te, & mea conſilia ut tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PA. oh, dubium ne id eſt?
T. Hoc agite amabo. mater mea illic mortua eſt
Nuper. eius frater aliquantum ad rẽ eſt auidior.
Is ubi hanc forma uidet honeſta uirginem,
Et fidibus ſcire, pretium ſperans, illico
Producit, uendit. forte fortuna affuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Imprudens harum rerum, ignarusq. omnium:

Is uenit : postquam sensit me tecum quoque
Rem habere, fingit caussas, ne det, sedulo :
Ait, si fidem habeat, se iri praepositum tibi
Apud me, ac non id metuat, ne, ubi eā acceperim,
Sese relinquam, uelle se illam mihi dare.
Verum id uereri. sed, ego quantum suspicor,
Ad uirginem animum adiecit. PH. *etiam ne amplius?*

eclypsis.

T. *Nil : nam quaesiui. nunc ego eam, mi Phaedria,*
Multae sunt caussae, quamobrem cupio abducere:
Primum, quod soror est dicta : praeterea, ut suis
Restituam, ac reddam. sola sum : habeo hic neminem,
Neque amicum, neque cognatum. quamobrem, Phaedria,
Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Id amabo adiuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere. nihil respondes? PH. *pessuma,*
Ego quidquam cum istis factis tibi respondeam?
PA. *Hei noster, laudo. tandem perdoluit : uir es.*
PH. *Aut ego nesciebam, quorsum tu ires? paruola*
Hinc est abrepta : eduxit mater pro sua :
Soror est dicta : cupio abducere, ut reddam suis.
Nempe omnia haec nunc uerba huc redeunt denique :
Excludor ego, ille recipitur: qua gratia?
Nisi illū plus amas, quam me: & istā nunc times,
Quae aduecta est, ne illum talem praeripiat tibi.
T. *Egon' id timeo?* PH. *quid te ergo sollicitat? cedo.*

Num

Cur puellā abducere quaerat.
Amicus perpetuus Amator ad tēpus.
Vide quā leniter precatur, et blāde.
Indignatur oīa repetit.

Num solus ille dona dat? numcubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier? i. frustrari. Vidi Ananst.
Non ne, ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus,
Quaesiui? eunuchum porro dixti uelle te,
Quia solae utuntur his reginae: repperi:
Heri minas uiginti pro ambobus dedi:
Tamen contẽptus abs te, haec habui in memoria:
Ob haec facta abs te spernor. T. quid istuc, Phaedria?
Quamquam illam cupio abducere; atque hac re arbitror
Id fieri posse maxume: uerumtamen,
Potius quam te inimicum habeam, faciam, ut iusseris.
PH. Vtinam istuc uerbum ex animo, ac uere diceres, i. dicti.
Potius quam te inimicum habeam. si istuc crederẽ
Sincere dici, quiduis possem perpeti.
PA. Labascit, uictus uno uerbo. quam cito?
TH. Ego non ex animo misera dico? quam ioco Emphasim habet.
Rem uoluisti a me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem ut concedas solum. PH. siquidem biduum:
Verum ne fiant isti uiginti dies.
T. Profecto non plus biduum, aut. PH. aut? nihil moror.
T. Non fiet. hoc modo sine te exorem. PH. scilicet Omnia haec uim amoris exprimunt.
Faciundum est, quod uis. T. merito amo te. PH bene facis:
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum: tamquam biennium sic.

Ita facere certum est: mos gerundust Thaidi.
Tu Parmeno huc fac illi adducātur. PA. maxume.
PH. In hoc biduum Thais uale. T. mi Phaedria
Et tu. numquid uis aliud? PH. ego ne quid uelim?
Cum milite isto praesens, absens ut sies:
Dies, noctesq. ames me: me desideres:
Me somnies: me exspectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.
T. Me miseram, forsitan hic mihi paruam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingenijs nunc me iudicet.
Ego pol, quae mihi sum conscia, hoc certo scio,
Neque me finxisse falsi quidquam, neque meo
Cordi esse quemquam cariorem hoc Phaedria:
Et quidquid huius feci, caussa uirginis
Feci: nam me eius spero fratrem propemodum
Iam repperisse, adolescentem adeo nobilem: &
Is hodie uenturum ad me constituit domum.
Concedam hinc intro, atque exspectabo, dum uenit.

ACTVS. II. SCENA. I

PHAEDRIA. PARMENO

PH. ITA fac, ut iussi, deducantur isti. PA. faciam. PH. at diligenter.
PA. Fiet. PH. at mature. PA. fiet. PH. satin' hoc mandatum est tibi?

PA. Ab

PA· Ah rogitare? quasi difficile siet. utinam
Tam aliquid facile inuenire possis, Phaedria,
Hoc quam peribit. PH· ego quoque una pereo. quod mi est carius.
Ne istuc tam iniquo patiare animo. PA· minime: quin
Effectum dabo. sed numquid aliud imperas?
PH· Munus nostrum ornato uerbis, quod poteris: &
Istum aemulum, quod poteris, ab ea pellito.
PA· Memini, tametsi nullus moneas. PH· ego rus ibo, atque ibi manebo.
PA· Censeo. PH· sed, heus tu. PA· quid uis? PH· censen', posse me offirmare, &
Perpeti, ne redeam interea? PA· te ne? non hercle arbitror:
Nam aut iam reuertere, aut mox noctu te adigēt horsum insomnia.
PH· Opus faciam, ut defatiger usque, ingratijs ut dormiam.
PA· Vigilabis lassus: hoc plus facies. PH· ah, nil dicis, Parmeno.
Eijciunda hercle haec mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem ego non illa caream, si sit opus, uel totum triduum? PA· hui,
Vniuersum triduum? uide, quid agas. PH· stat sententia.
P· Dij boni, quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas, eundem esse? hoc

nemo fuit
Minus ineptus, magis ſeuerus quiſquam, nec magis continens.
Sed, quis hic eſt, qui huc pergit? at at, hic quidem eſt paraſitus Gnatho
Militis: ducit ſecũ una uirginem huic dono: papae,
Facie honeſta. mirum, ni ego me turpiter hodie hic dabo
Cum meo decrepito hoc Eunucho. haec ſuperat ipſam Thaidem.

Oeconomia ad futurũ amorẽ.

ACTVS · II · SCENA · II

GNATHO · PARMENO

Di immortales, homini homo quid praeſtat? ſtulto intellegens
Quid intereſt? hoc adeo ex hac re uenit in mentem mihi:
Conueni hodie adueniens quendam mei loci hinc, atque ordinis,
Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurrierat bona.
Video ſentum, ſqualidum, aegrum, pannis, annisq. obſitum.
Quid iſtuc, inquam, ornati eſt? quoniam miſer, quod habui, perdidi.
Hem quo redactus ſum. omnes noti me, atque amici deſerunt.
Hic ego illum contempſi prae me. quid homo, inquam, ignauiſſime?

Gnathonis deſcriptio.

i. nõ auarũ, dialogicõs hoc dixit.

Oĩa hoc ex media ſumuntur conſuetudine.

Ita

Ita ne parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?
Simul consilium cum re amisti? uiden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, uestitus, quae habitudo est corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cum est, nil desit tamen. Metaphoricos à peregrinatis.
At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. quid tu his rebus credis fieri? tota erras uia.
Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius.
Hoc nouum est aucupium: ego adeo hanc primus inueni uiam. gloriosos et incitabundos carpit.
Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum uolunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul: Adulatoris officium.
Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, aio: postremo imperaui egomet mihi,
Omnia assentari. is quaestus nunc est multo uberrimus. sua verissima hac praesertim tempestate.
PA. Scitum hercle hominem: hic homines prorsum ex stultis insanos facit.

GN. Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi aduentamus,
Concurrunt laeti mi obuiam cupedinarij omnes,
Cetarij, lanij, coqui, fartores, piſcatores.
Quibus & re ſalua, & perdita profueram, & proſum ſaepe:
Salutant: ad cenam uocant: aduentum gratulantur.
Ille ubi miſer, famelicus, uidet me eſſe in tantum honorem,
Et tam facile uictum quaerere; ibi homo coepit me obſecrare,
Vt ſibi liceret diſcere id de me. ſectari iuſſi:
Si potis eſt, tamquam philoſophorum habent diſciplinae ex ipſis
Vocabula, paraſiti item ut Gnathonici uocentur.
PA. Viden, os ſum, & cibus quid faciat alienus?
GN. ſed ego ceſſo
Ad Thaidem hanc deducere, & rogare ad cenam ut ueniat.
Sed Parmenonem ante oſtium Thaidis triſtem uideo,
Riualis ſeruum. ſalua eſt res: nimirum hic homines frigent.
Nebulonem hunc certum eſt ludere. PA. hiſce hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem eſſe. GN. plurima ſalute Parmenonem
Summum ſuum impartit Gnatho. quid agitur? PA. ſtatur. GN. uideo:

Num-

Numquidnam hic, quod nolis, uides? PE. te. GN. credo. at numquid aliud?
PA. Qui dum? GN. quia tristis es. PA. nihil equidem. GN. ne sis. sed, quid uidetur
Hoc tibi mancupium? PA. non malum hercle. GN. uro hominem. PA. ut falsus animi est.
GN. Quam hoc munus gratum Thaidi arbitrare esse? PA. hoc nunc dices.
Eiectos hinc nos. OMNIVM rerum heus uicissitudo est.
GN. Sex ego te totos Parmeno hos menses quietum reddam.
Ne sursum, deorsum cursites; ne ue usque ad lucem uigiles.
Ecquid beo te? PA. men'? papae. GN. sic soleo amicos. PA. laudo.
GN. Detineo te fortasse: tu profectus alio fueras.
PA. Nusquam. GN. tum tu igitur paullum da mihi operae: fac, admittar
Ad illam. PA. age modo, nunc tibi patent fores hae, quia istam ducis.
GN. Num quem euocari hinc uis foras? PA. sine, biduum hoc praetereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra.
GN. Etiam nunc hic stas, Parmeno? eho, numnam tu hic relictus custos,
Ne quis forte internuncius clam a milite ad istam cursitet?

PA. Facete

PA. Facete dictum. mira uero, militi quae placeant.
Sed uideo herilem filium minorem huc aduenire.
Miror, qui ex Piraeeo abierit: nam ibi custos publice est nunc.
Non temere est: & properans uenit: nescio quid circumspectat.

ACTVS . II . SCENA . III

CHAEREA . PARMENO

CCIDI.

O Neque uirgo est usquam, neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.
Vbi quaeram? ubi inuestigem? quem percuncter? quam insistam uiam?
Incertus sum. una haec spes est; ubi ubi est, diu celari non potest.
O faciem pulchram: deleo omnes dehinc ex animo mulieres:
Taedet quotidianarum harum formarum. PA. ecce autem alterum,
De amore nescio quid loquitur. o infortunatum senem.
Hic uero est, qui si amare occoeperit, ludũ iocumq.
Dices fuisse illum alterum, praeut huius rabies quae dabit.
CH. Vt di illum, deaeq. senium perdant, qui me hodie remoratus est;
Meq. adeo, qui restiterim; tum autem, qui illum flocci fecerim.

Sed

Sed eccum Parmenonem· salue· PA· *quid tu es tristis? quid ue alacris?*
Vnde is? C· *ego hercle nescio, neque unde eam, neque quorsum eam:*
Ita prorsus oblitus sum mei·
PA· *Qui quaeso?* C· *amo·* PA· *ehem·* C· *nunc te, Parmeno, ostendes, qui uir sies·*
Scis te mihi saepe pollicitum esse: Chaerea, aliquid inueni
Modo, quod ames: in ea re utilitatem ego faciam ut noscas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clamculum·
PA· *Age, inepte·* C· *hoc hercle factum est· fac, sis, nunc promissa appareant,*
Siue adeo digna res est, ubi tu neruos intẽdas tuos·
Haud similis uirgo est uirginum nostrarum: quas matres student
Demissis humeris esse, uincto pectore, ut gracilae sient·
Si qua est habitior paullo, pugilem esse aiunt: deducunt cibum·
Tametsi bona est natura, reddũt curatura iunceas:
Itaque ergo amantur· PA· *quid tua istaec?* C· *noua figura oris·* PA· *papae·*
CH· *Color uerus, corpus solidum, & succi plenum·* PA· *anni?* C· *sedecim·*
PA. *Flos ipse·* C· *hanc tu mihi uel ui, uel clam, uel precario*
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo·

PA· *Quid,*

Perturbatio ex amore.

Reprehendit industria[e] cultũ: et laudat pulchritudinẽ Nae.

Descriptio formosae puellae.

PA. Quid, uirgo cuia est? C. nescio hercle. P. unde est? C. tantundem. P. ubi habitat?

CH. Ne id quidem. P. ubi uidisti? C. in uia. P. qua ratione amisisti?

CH. Id equidem aduenians mecũ stomachabar modo:
Neque quemquam hominem esse ego arbitror, cui magis bonae
Felicitates omnes aduersae sient.

PA. Quid hoc est sceleris? C. perij. P. quid factum est? C. rogas?
Patris cognatum atque aequalem Archidemidẽ.
Nostin? P. quid ni? C. is, dum sequor hanc, fit mihi obuiam.

PA. Incommode hercle. CH. immo enimuero infeliciter.
Nam incommoda alia sunt dicenda, Parmeno.
Illum, liquet mihi deierare, his mensibus
Sex septem prorsus non uidisse proxumis,
Nisi nunc, cum minime uellẽ, minimeq. opus fuit.
Eho, non ne hoc monstri simile est? quid ais? P. maxume.

CH. Continuo accurrit ad me, quam longe quidem,
Incuruus, tremulus, labijs demissis, gemens:
Heus heus, tibi dico, Chaerea, inquit. restiti.
Scin', quid ego te uolebam? dic. cras est mihi
Iudicium. quid tum? ut diligenter nuncies
Patri, aduocatus mane mihi esse ut meminerit.
Dum haec dicit, abijt hora. rogo, num quid uelit.
Recte, inquit. abeo. cum huc respicio ad uirginem,
Illa sese interea commodum huc aduorterat

In

In nostram hanc plateam · PA · *mirum, ni hanc*
dicit, modo
Huic quae data est dono · C · *huc cum aduenio, nul*
la erat ·
PA · *Comites secuti scilicet sunt uirginem?*
CH · *Verum, parasitus cũ ancilla* · PA · *ipsa est scilicet* · In neoptica particula est: non relativa.
Desine: iam conclamatum est · CH · *alias res agis* ·
PA · *Istuc ago equidem* · CH · *nostin, quae sit? dic mi-*
hi: aut
Vidistin'? PA · *uidi, noui: scio, quo abducta sit* ·
CH · *O Parmeno mi, nostin'?* PA · *noui* · C · *& scis,*
ubi siet?
PA · *Huc deducta est ad Thaidem: ei dono data est* ·
CH · *Quis is est tam potens cum tanto munere hoc?*
PA · *miles Thraso,*
Phaedriae riualis · C · *duras fratris partes prae-*
dicas ·
PA · *Immo enim, si scias, quod donum huic dono con-*
tra comparet,
Tum magis id dicas · C · *quodnam quaeso hercle?*
PA · *eunuchum* · C · *illum ne obsecro*
Inhonestum hominem, quem mercatus est heri, se- gemina vituperatio ab aetate, et sexu.
nem, mulierem?
PA · *Istunc ipsum* · C · *homo quatietur certe cum do-*
no foras ·
Sed istam Thaidem non sciui nobis uicinam · PA ·
haud diu est ·
CH · *Perij* · *numquam ne etiam me illam uidisse, eho-*
dum dic mihi,
Est ne, ut fertur, forma? PA · *sane* · C · *at nihil ad*
nostram

nostram hanc. PA. alia res est.

CH. Obsecro te hercle, Parmeno, fac ut potiar. PA. faciam sedulo, ac

Dabo operam, adiutabo. numquid me aliud uis? C. quo nunc is? PA. domum.

Vt mancipia haec, ita ut iussit frater, deducam ad Thaidem.

CH. O fortunatum istum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum.

PA. Quid ita? C. rogitas? summa forma semper conseruam domi

Videbit, colloquetur, aderit una in unis aedibus,

Cibum nonnumquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.

PA. Quid, si nunc tute fortunatus fias? C. qua re, Parmeno?

Responde. PA. capias tu illius uestem. C. uestem? quid tum postea?

PA. Pro illo te deducam. C. audio. P. te esse illum dicam. C. intellego.

P. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:

Cibum una capias, adsis, tangas, ludas, propter dormias:

Quandoquidem illarum neque quisquam te nouit, neque scit qui sies.

Praeterea forma, & aetas ipsa est, facile ut pro eunucho probes.

CH. Dixti pulchre: numquam uidi melius consilium dari.

Age

Age eamus intro : nunc iam orna me, abduc, duc, quantum potes.

P· *Quid agis ? iocabar equidem·* C· *garris·* P· *perij, quid ego egi miser ?*

Quo trudis ? perculeris iam tu me ? tibi equidem dico, mane·

CH· *Eamus·* P· *pergin ?* C· *certum est·* P· *uide, ne nimium calidum hoc sit modo·*

C· *Non est profecto · sine·* P· *at enim istaec in me cudetur faba· ah,*

Flagitium facimus· C· *an id flagitium est, si in domum meretriciam*

Deducar, et illis crucibus, quae nos, nostramq· adolescentiam,

Habent despicatam, & quae nos semper omnibus cruciant modis,

Nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur ?

An potius haec patri aequom est fieri, ut a me ludatur dolis ?

Quod qui rescierint, culpent ? illud merito factum omnes putent·

P· *Quid istuc ? si certum est facere, faciam· uerum ne post conferas*

Culpam in me· C· *non faciam·* P· *iubes ne ?* C· *iubeo, cogo, atque impero·*

Numquam defugiam auctoritatem : sequere· P· *dij uortant bene·*

Vafer seruus, nō uult uideri sceleris auctor.

pro, periculosū.

i. tormentis.

arg. a consequentibus.

i. fatebor, me auctore factum esse. uide An. es

ACTVS

THRASO · GNATHO · PARMENO

MAGNAS uero agere gratias Thais mihi?
G. Ingentes. T. ain' tu, laeta est? G. non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse: id uero serio
Triumphat. P. huc prouiso, ut ubi tempus siet,
Deducam. sed eccum militem. T. est istuc datum
Profecto mihi, ut sint grata, quae facio, omnia.
G. Aduorti hercle animum. T. uel rex semper maxumas
Mihi agebat, quidquid feceram, alijs non item.
G. Labore alieno magno partam gloriam
Verbis saepe in se transmouet, qui habet salem:
Quod in te est. T. habes. G. rex te ergo in oculis T. scilicet.
G. Gestare. T. uero, credere omnem exercitum,
Consilia. G. mirum. T. tum, sicubi eum satietas
Hominum, aut negoti si quando odium ceperat,
Requiescere ubi uolebat, quasi: nostin'? G. scio.
Quasi ubi illam exspueret miseriam ex animo, T. tenes.
Tum me conuiuam solum abducebat sibi. G. hui,
Regem elegantem narras. T. immo sic homo
Est perpaucorum hominum. G. immo nullorum arbitror,
Si tecum uiuit. T. inuidere omnes mihi,
Mordere clamculum: ego non flocci pendere:
Illi inuidere misere. uerum unus tamen
Impense, elephantis quem Indicis praefecerat.

Is ubi molestus magis est, quaeso, inquam, Strato,
Eo ne es ferox, quia habes imperium in belluas?
G· Pulchre mehercle dictum, & sapienter· papae,
Iugularas hominem· quid ille? T· mutus illico·
G· Quid ni esset? P· dij uostram fidem, hominem perditum,
Miserumque, & illum sacrilegum· T· quid illud, Gnatho,
Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio,
Nũquid tibi dixi? G· numquã: sed narra, obsecro·
Plus millies iam audiui· T· una in conuiuio
Erat hic, quem dico, Rhodius adolescentulus·
Forte habuit scortum: coepit ad id alludere,
Et me irridere· quid agis, inquã, homo impudens?
LEPVS tute es, & pulpamentum quaeris· G· ha, ha, hae·
T· Quid est? G· facete, lepide, laute, nihil supra·
Tuum ne, obsecro te, hoc dictum erat? uetus credidi·
T· Audieras? G· saepe; & fertur in primis· T· meum est·
G· Dolet dictum imprudenti adolescenti, & libero·
P· At te dij perdant· G· quid ille, quaeso? T· perditus·
Risu omnes, qui aderant, emoriri· denique
Metuebant omnes iam me· G· non iniuria·
T· Sed, heus tu, purgon ego me de istac Thaidi,
Quod eam me amare suspicatur? G· nihil minus,
Immo magis auge suspicionem· T· cur? G· rogas?
Scin? si quando illa mentionem Phaedriae
Facit, aut si laudat, te ut male urat, T· sentio·

Id ut ne fiat, haec res sola est remedio.
Vbi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phaedriam
Comissatum intromittamus: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit haec
Illius formam: tu huius contra. denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.
T. *Siquidem me amaret, tum istuc prodesset, Gnatho.*
G. *Quando illud, quod tu das, exspectat, atque amat;*
Iamdudum amat te; iamdudum illi facile fit,
Quod doleat: metuet semper. quem ipsa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu alio conferas. — Loci, pro persona posuit.
T. *Bene dixti, at mihi istuc non in mentem uenerat.*
G. *Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum,*
Idem hoc tute melius quanto inuenisses, Thraso? — Cum pondere pronunciandum.

ACTVS III SCENA II

THAIS · THRASO · PARMENO
GNATHO · PYTHIAS

AVDIRE *uocem uisa sum modo militis.*
Atque eccum. salue, mi Thraso. THR. *o Thais mea,*
Meum suauium, quid agitur? ecquid nos amas — osculum, et amorem significat.
De fidicina istac? P. *quam uenuste? quod dedit* — Ironia.
Principium adueniens? TH. *plurimũ, merito tuo.*
G. *Eamus ergo ad cenam: quid stas?* P. *hem alterũ.*
Ex homine hunc natum dicas. TH. *ubi uis, non moror.*
P. *Adibo, atque assimulabo, quasi nunc exeam.*

Ituran,

Ituran, Thais, quopiam es? TH· ehem, Parmeno,
Bene fecisti: hodie itura. P· quo? TH· equid hunc uides?
P· Video, & me taedet. ubi uis, dona assunt tibi
A Phaedria. TH· quid stamus? cur nō imus hinc?
P· Quaeso hercle ut liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quae uolumus, conuenire, & colloqui.
THR· Perpulchra credo dona, aut nostris similia.
PA· Res indicabit. heus iubete istos foras
Exire, quos iussi. ocius procede tu huc.
Ex Aethiopia est usque haec. T· hic sūt tres minae.
G· Vix. P· ubi tu es, Dore? accede huc. hem eunuchum tibi
Quam liberali facie, quam aetate integra?
TH· Ita me di ament, honestus est. P· quid tu ais, Gnatho?
Numquid habes, quod contemnas? quid tu autem, Thraso?
Tacent: satis laudant. fac periclum in litteris,
Fac in palaestra, in musicis. quae liberum
Scire aequom est adolescentem, sollertem dabo.
THR· Ego illum eunuchum, si sit opus, uel sobrius.
P· Atque, haec qui misit, non sibi soli postulat
Te uiuere, & sua caussa excludi ceteros:
Neque pugnas narrat, neque cicatrices suas
Ostentat: neque tibi obstat: quod quidam facit.
Verum, ubi molestum non erit, ubi tu uoles,
Vbi tempus tibi erit, sat habet, si tum recipitur.
THR· Apparet seruom hunc esse domini pauperis,
Miserique. G· nam hercle nemo posset, sat scio,

Mire ponemus in uenit, ne quid laedat. [illegible]

Commendatio à longinquitate loci.

Olim [illegible] artibus liberi erudiebantur. Vide An.

Assentator approbat militis dictum.

Qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
P. Tace tu: quem esse ego puto infra omnes infimos
Homines. nã, qui huic animum assẽtari induxeris,
E flamma te petere cibum posse arbitror.
THR. Iam ne imus? TH. hos prius introducam, &, quae uolo,
Simul imperabo: postea continuo exeo.
THR. Ego hinc habeo: tu istam opperire. P. haud conuenit
Vna cum amica ire imperatorem in uia.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini similis es,
G. Ha, ha, hae. T. quid rides? G. istuc, quod dixti modo,
Et illud de Rhodio dictum in mentem uenit.
Sed Thais exit. T. abi: praecurre, ut sint domi
Parata omnia. G. fiat. TH. diligenter, Pythias,
Fac cures, si Chremes huc forte aduenerit,
Vt ores primum, ut maneat; si id non commodũ est,
Vt redeat; si id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. TH. quid? quid aliud uolui dicere?
Hem, curate istam diligenter uirginem.
Domi assitis, facite. T. eamus. TH. uos me sequimini.

ACTVS. III. SCENA. III.

CHREMES. PYTHIAS

CH. PROFECTO quanto magis magisq. cogito,
Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum:

Ita me uideo ab ea astute labefactarier.
Iam tum, cum primum iussit me ad se accersier,
(Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidē)
Vbi ueni, caussam, ut ibi manerem, repperit:
Ait rem diuinam fecisse, & rem seriam
Velle agere mecum. iam tum erat suspicio,
Dolo malo haec fieri omnia. ipsa accumbere
Mecum, mihi sese dare, sermonem quaerere.
Vbi friget, huc euasit, quam pridem pater
Mihi, & mater mortui essent. dico, iam diu.
Rus Sunij ecquod habeam, & quam longe a mari.
Credo ei placere hoc: sperat se a me auellere.
Postremo, ecqua inde parua perisset soror.
Ecquis cum ea una. quid habuisset, cum perit.
Ecquis eam posset noscere: haec cur quaeritet?
Nisi illa forte, quae olim perijt paruola
Soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
Verum, ea si uiuit, annos nata est sedecim,
Non maior: Thais, ego quam sum, maiuscula est.
Misit porro orare, ut uenirem serio.
Aut dicat, quid uolt; aut molesta ne siet.
Non hercle ueniam tertio. heus, heus. PY. *hic quis est?*
CH. *Ego sum Chremes.* PY. *o capitulū lepidissimum.*
CH. *Dico ego, mi insidias fieri?* PY. *Thais maxumo*
Te orabat opere, ut cras redires. CH. *rus eo.*
PY. *Fac amabo.* CH. *non possum, inquam.* PY. *at apud nos hic mane,*
Dum redeat ipsa. CH. *nihil minus.* PY. *cur, mi Chremes?*

CH. *Malam rem. abis hinc?* PY. *si istuc ita certum est tibi,*

Amabo, ut illuc transeas, ubi illa est. CH. *eo.*

PY. *Abi, Dorias, cito hunc deduce ad militem.*

ACTVS . III . SCENA . IV

ANTIPHO

H ERI *aliquot adolescentuli coiimus in Piraeo,*

In hunc diem ut de symbolis essemus. Chaeream ei rei

Praefecimus: dati anuli: locus, tempus constitutum est.

Praeteriit tempus: quo in loco dictum est, parati nihil est.

Homo ipse nusquam est: neque scio, quid dicam, aut quod coniectem.

Nunc mihi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quaeram:

Idq. adeo uisam, si domi est. quisnam hinc a Thaide exit?

Chaerea sub Eunuc[h]i habitu virgine vitiata ... cognitus.

Is est, an non est? ipsus est. quid hoc ominis? qui est hic ornatus?

Quid illud mali est? nequeo satis mirari, neque coniicere.

Nisi, quidquid est, procul hinc libet prius, quid sit, sciscitari.

CHAEREA · ANTIPHO

NVM *quis hic est? nemo est · num quis hinc*
me sequitur? nemo homo est ·
Iam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? pro Iuppiter,
Nunc est profecto interfici cum perpeti me possum,
Ne hoc gaudium contaminet uitam aliqua aegritudine ·
Sed neminem ne curiosum interuenire nunc mihi,
Qui me sequatur, quoquo eam, rogitando obtundat, enicet,
Quid gestiam, aut quid laetus sim, quo pergam, unde emergam, ubi siem
Vestitum hunc nactus, quid mihi quaeram, sanus sim, an ne insaniam?
A · *Adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam uideo uelle, inibo ·*
Chaerea, quid est, quod sic gestis? quid sibi hic uestitus quaerit?
Quid est, quod laetus sis? quid tibi uis? satine sanus? quid me
Adspectas? quid taces? CH · *o festus dies hominis: amice,*
Salue: nemo omnium est, quem ego magis nunc cuperem uidere ·
A · *Narra istuc quaeso quid siet ·* C · *immo ego te obsecro hercle, ut audias ·*
Nostin hanc, quam frater amat? A · *noui, nem-*

pe opinor Thaidem.
CH. Istam ipsam. A. sic commemineram. CH. quaedam hodie est ei dono data
Virgo. quid ego eius tibi nunc faciem praedicem, aut laudem, Antipho,
Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum. A. ain tu? CH. primam dices, scio, si uideris.
Quid multa uerba? amare coepi. forte fortuna domi
Quidam erat eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
Neque is deductus etiam tum ad eam. summonuit me Parmeno
Ibi seruus, quod ego arripui. A. quid id est? C. tacitus, citius audies.
Vt uestem cum eo mutem, & pro illo iubeam me illuc ducier.
A. Pro eunuchon? C. sic est. A. quid tandem ex ea re ut caperes commodi?
Res amati gratissima.
CH. Rogas? uiderem, audirem, essem una, qua cum cupiebam, Antipho.
Num parua caussa, aut parua ratio est? traditus sum mulieri.
Illa illico ubi me accepit, laeta uero ad se abducit domum,
Commendat uirginem. A. cui? tibi ne? CH. mihi. A. satis tuto tamen.
H. Edicit, ne uir quisquam ad eam adeat, & mihi, ne absce-

ne abscedam, imperat,
In interiore parte ut maneam solus cum sola.
annuo,
Terram intuens modeste. AN· miser. CH· ego,
inquit, ad cenam hinc eo.
Abducit secum ancillas: paucae, quae circum il-
lam essent, manent
Nouiciae puellae. continuo haec adornant, ut
lauet.
Adhortor, properent. dum apparatur, uirgo in
conclaui sedet,
Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat
pictura haec, Iouem
Quo pacto Danae misisse aiunt quondam in gre-
mium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare coepi: &, quia consimi
lem luserat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gau
debat mihi,
Deum sese in hominem conuertisse, atque per alie
nas tegulas
Venisse clamculum per impluuium fucum factum
mulieri.
At quem Deum? qui templa caeli summa sonitu
concutit.
Ego homunicio hoc non facerem? ego illud uero ita
feci, ac lubens.
Haec dum mecum reputo, accersitur lauatum in-
terea uirgo.
It, lauit, redit: deinde illam in lecto illae collo
carunt.

carunt.

Sto exspectans, siquid mihi imperent: uenit una, heus tu, inquit, Dore,

Cape hoc flabellum, & uentulum huic sic facito, dum lauamus.

Vbi nos lauerimus, si uoles, lauato. accipio tristis.

A. Tum equidem istuc os tuum impudens uidere nimium uellem,

Qui esset status, flabellum tenere te asinum tãtum.

Mos familiae prostulantis. C. Vix elocuta est hoc, foras simul omnes proruũt se:

Abeunt lauatum, perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.

clauso gutture explicata narratio. Interea somnus uirginem opprimit. ego limis adspecto

Sic per flabellum clamculum, & simul alia circumspecto,

Satin explorata sint. uideo esse: pessulũ ostio obdo.

A. Quid tum? CH. quid tum, fatue? A. fateor. CH. egon occasionem

Mihi ostentatam, tam breuem, tam optatam, tam insperatam,

pro, cui. antiquè. Amitterem? tum pol ego is essem uere, qui assimulabar.

A. Sane hercle ut dicis. sed interim de symbolis quid actum est?

C. Paratum est. A. frugi es. ubi? domin? C. immo apud libertum Discum.

A. Perlonge est: sed tanto ocius properemus: muta uestem.

C. Vbi mutem? perij: nam domo exsulo nunc: metuo

tuo fratrem,
Ne intus sit : porro autem, pater ne rure redierit iam.
A· *Eamus ad me : ibi proxumum est, ubi mutes.* C· *recte dicis.* i. in domu mea.
Eamus : & de istac simul, quo pacto porro possim
Potiri, consilium uolo capere una tecum. A· *fiat.*

ACTVS · IV · SCENA · I

DORIAS

ITA *me dij bene ament, quantum ego illum uidi, non nihil timeo,*
Misera, ne quam ille hodie insanus turbam faciat, aut uim Thaidi.
Nam, postquam iste aduenit Chremes adolescens frater uirginis,
Rogat, illum admitti ut iubeat. ille continuo irasci, neque
Negare audere : Thais porro instare, ut hominem inuitet. id
Faciebat retinendi illius caussa : quia, illa quae cupiebat
De sorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.
Inuitat tristis. mansit ibi. illa cum illo sermonem illico.
Miles uero sibi putare adductum ante oculos aemulum.
Voluit facere contra huic aegre: heus heus, inquit, puer

puer huc Pamphilam
Accerse, ut delectet hic nos. illa exclamat, minime gentium.
In conuiuium illam? miles tendere inde ad iurgiũ.
Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mihi ut auferam.
Hoc est signi, ubi primum poterit, sese illinc subducet, scio.

ACTVS. IV. SCENA. II

PHAEDRIA

CVM rus eo, coepi egomet mecum inter uias,
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiae,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Peiorem partem. quid opust uerbis? dum haec puto,
Praeterij imprudens uillam. longe iam abieram,
Cum sensi. redeo rursum, male uero me habens.
Vbi ad ipsum ueni diuerticulum, constiti:
Occoepi mecum cogitare. hem biduum hic
Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est. quid? nihil? si non tangendi copia est,
Eho ne uidendi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit. certe extrema linea
Amare, haud nihil est. uillam praetereo sciens.
Sed quid hoc, quod timida subito egreditur Pythias?

PYTHIAS · DORIAS · PHAEDRIA

VBI illum ego scelerosum misera, atque impium inueniam? aut ubi
Quaeram? hocine tam audax facinus facere esse ausum? PH· perij: hoc quid sit, uereor·
PY· Quin insuper etiam scelus, postquam ludificatust uirginem,
Vestem omnem misere discidit, tum ipsam capillo conscidit·
PH· Hem· PY· qui nunc si detur mihi,
Vt ego unguibus facile illi in oculos inuolem uenefico?
PH· Profecto nescio quid absente nobis turbatum est domi·
Adibo· quid istuc? quid festinas? aut quem quaeris, Pythias?
PY· Hem, Phaedria, egon quem quaeram? abi hinc, quo dignus es, cum donis tuis
Tam lepidis· PH· quid istuc est rei?
PY· Rogas me? eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit?
Vitiauit uirginem, quam herae dederat dono miles· PH· quid ais?
PY· Perij· PH· temulenta es· PY· utinam sic sient, mihi qui male uolunt·
D· Au, obsecro, mea Pythias, quod istucnam monstrum fuit?
PH· Insanis: qui istuc facere eunuchus potuit? PY· ego illum nescio

Eunuchum quem, Antiptosis

Qui fuerit : hoc, quod fecit, res ipsa indicat.
Virgo ipsa lacrumat; neque, cum rogites, quid sit, audet dicere.
Ille autem bonus uir nusquam apparet. etiam hoc misera suspicor,
Aliquid domo abeuntem abstulisse. PH. nequeo mirari satis,
Quo abire ignauos ille possit longius, nisi domum
Forte ad nos rediit. PY. uise, amabo, num sit. PH. iam faxo scies.
D. Perii, obsecro. tam infandum facinus, mea tu, ne audiui quidem.
PY. At pol ego amatores audieram mulierum esse eos maxumos,
Sed nihil potesse. uerum miserae non in mentem uenerat.
Nam illum aliquo conclusissem, neque illi commisissem uirginem.

ACTVS . IV . SCENA . IV

PHAEDRIA . DORVS . PYTHIAS
DORIAS

EXI foras, sceleste : at etiam restitas?
Fugitiue, prodi, male conciliate. DO. obsecro. PH. oh,
Illud uide, os ut sibi distorsit carnufex.
Quid huc reditio est? quid uestis mutatio est?
Quid narras? paullum si cessassem, Pythia,
Domi non offendissem : ita iam ornabat fugam.

PY. Ha-

PY· Habes ne hominem, amabo? PH· quid ni? PY· o
factum bene ·
DO· Istuc pol uero bene · PY· ubi est? PH· rogitas?
non uides?
PY· Videam obsecro, quem? PH· hunc scilicet · PY·
quis hic est homo?
PH· Qui ad uos deductus hodie est · PY· hunc oculis suis
Nostrarum numquam quisquam uidit, Phaedria ·
PH· Non uidit? PY· an tu hunc credidisti esse, obsecro,
Ad nos deductum? P· namque alium habui neminem · PY· au,
Ne comparandus hic quidem ad illum est · ille erat
Honesta facie, & liberali · P· ita uisus est
Dudum, quia uaria ueste exornatus fuit:
Nunc tibi uidetur foedus, quia illam non habet ·
PY· Tace, obsecro: quasi uero paullum intersiet ·
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu uero uidere uelles, Phaedria ·
Hic est uetus, uietus, ueternosus, senex,
Colore mustellino · PH· hem, quae haec est fabula?
Eo redigis me, ut, quid egerim, egomet nesciam ·
Eho tu, emin ego te? DO· emisti · PY· iube mihi
denuo
Respondeat · PH· roga · PY· uenistin hodie ad nos?
negat ·
At ille alter uenit annos natus sedecim:
Quem secum adduxit Parmeno · PH· agedum, hoc
mihi expedi ·
Primũ unde habes istã, quã habes, uestem? taces?
Monstrum

Error utriusq. Phaedriae s. et Pythiae.

i. Nulla ex nobis.

Elegans Chaereae descriptio.

Obliquae interrogationes, quib. testimonia deriuare nititur.

Monstrum hominis, non dicturus? DO. uenit Chaerea.

PH. Frater ne? DO. ita est. PH. quando? DO. hodie. PH. quam dudum? DO. modo.

PH. Qui cum? DO. cum Parmenone. PH. noras ne eum prius?

DO. Non: nec, quis esset, umquam audieram dicier.

PH. Vnde igitur, meum fratrem esse, sciebas? DO. Parmeno

Eunuchus rem aperit.

Dicebat eum esse: is dedit hanc mihi uestem. PH. occidi.

DO. Meam ipse induit: post una ambo abierunt foras.

PY. Iam satis credis sobriam esse me, & nil mentitam tibi?

Iam satis certum est uirginem uitiatam esse? PH. age nunc, bellua,

Credis huic, quod dicat? PY. quid isti credam? res ipsa indicat.

PH. Concede istuc paullulum. audin? etiam paullulum. sat est.

Dic dum hoc rursum, Chaerean tuam uestem detraxit tibi?

Sic interrogat ut ea negari nollet.

DO. Factum. P. & ea est indutus? D. factum. P. & pro te huc deductus est? DO. ita.

Exclamatio ironice accipienda.

P. Iuppiter magne, o scelestum, atque audacem hominem. PY. uae mihi,

Etiam nunc non credis indignis nos esse irrisas modis?

PH. Mirum, ni tu credas, quod iste dicat. quid agam, nescio.

Heus

Heus tu, negato rursum. possum ne ego hodie ex te
exculpere
Verum? uidistin fratrem Chaeream? DO. non. PH.
non potest sine
Malo fateri, uideo. sequere me hac. modo ait, mo
do negat.
Ora me. DO. obsecro te uero, Phaedria. PH. in' in
tro? DO. hoi, hei.
PH. Alio pacto honeste quo modo hinc nunc abeam,
nescio.
Actum est si quidem. tu me hic etiam, nebulo, lu
dificabere?
PY. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam,
me uiuere.
DO. Sic est. PY. inueniam hodie, parem ubi pol refe-
ram gratiam.
Sed, nunc quid faciendum censes, Dorias? D. de
istac rogas
Virgine? PY. ita: utrum taceam ne, an praedi-
cem? D. pol, si sapis,
Quod scis nescis, neque de eunucho, neque de ui
tio uirginis.
Hac re & omni turba euolues te, & illi gratum
feceris.
Id modo dic, abisse Dorum. PY. ita faciam. D.
sed uideon Chremem?
Thais iam aderit. PY. quid ita? DO. quia, cum
inde abeo, iam tunc inceperat
Turba inter eos. PY. aufer aurum hoc: ego scibo ex
hoc, quid fiet.

Amplificatio per dilatio quaestionis.

deploratio.

sanum consilium.

ACTVS · IV · SCENA · V

CHREMES · PYTHIAS

Interiectio est paulatim percepti mali, atque intellecti. Est aliquando de improviso apprehendentis. Quandoque interiectio timoris.

Temulenti conditio.

A Tat, data hercle uerba mihi sunt: uicit uinum quod bibi.
At dum accubabam, quam uidebar mihi esse pulchre sobrius?
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.
PY· Chreme· CH· quis est? ehem, Pythia, uah quanto nunc formosior
Videre, quam dudum? PY· certe quidem tu pol multo alacrior.

.i. paulo ante.

CH· Verbum hercle uerum hoc est: SINE Cerere, & Libero, friget Venus.
Sed Thais multo ante uenit? PY· an ne abijt iam a milite?
CH· Iamdudum, aetatem· lites sunt inter eos factae maxumae.

.i. longo tempore.

PY· Nil dixit tum, ut sequerere sese? CH· nihil, nisi abiens mihi innuit.

Simplex omnino Chremes inducitur.

PY· Eho, non ne id sat erat? CH· at nesciebam id dicere illam, nisi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extrusit foras.
Sed eccam ipsam uideo: miror, ubi huic ego anteuorterim.

THAIS · CHREMES · PYTHIAS ·

CREDO equidem illum iam affuturum esse, illam ut eripiat: sine
Veniat: atqui, si illam digito attigerit uno, oculi illico
Effodientur. usque eo ego illius ferre possum ineptias,
Et magnifica uerba, uerba dum sint. uerum enim si ad rem i. ad opus.
Conferentur, uapulabit.
CH. Thais, ego iamdudum hic adsum. TH. o mi Chreme. te ipsum exspectabam:
Scin tu turbam hanc propter te esse factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? CH. ad me? qui? quasi istuc. T. quia, dum tibi sororem studeo
Reddere, & restituere, haec atque huiusmodi sum multa passa.
CH. Vbi ea est? T. domi apud me. C. ehem. H. quid est?
Educta, ita uti teque, illaq. dignum est. C. quid ais? T. id quod res est.
Hãc tibi dono do, neque repeto pro illa abs te quid quam pretij.
CH. Et habetur, & referetur a me, Thais, tibi, ita uti merita es,
Gratia. T. at enim caue, ne prius, quam hanc a me accipias, amittas,
Chreme: nam haec ea est, quam miles a me ui nunc uenit ereptum.

Monumenta sunt, quae inepti instrumenta vocant.

Abi tu, cistellam Pythias domo effer cum monumentis.

CH. *Viden tu illum, Thais?* PY. *ubi sita est?* TH. *in risco. odiosa cessas?*

CH. *Militem secum ad te quantas copias adducere?*

Interiectio timoris.

At at. TH. *num formidolosus obsecro es, mi homo?*

Apagesis. Verbum comicum siue aduerbium graecum, i. recede.

CH. *apagesis,*

Ego formidolosus? nemo est hominum, qui uiuat, minus.

TH. *Atque ita opus est.* CH. *au, metuo, qualem tu me esse hominem existumes.*

TH. *Immo hoc cogitato: qui cum res tibi est, peregrinus est,*

Minus potens, quam tu, minus notus, amicorum hic habens minus.

CH. *Scio istuc: sed, tu quod cauere possis, stultum admittere est.*

Malo ego nos prospicere, quam hunc ulcisci accepta iniuria.

Abi tu, atque ostium obsera intus, dum ego hinc transcurro ad forum:

Volo ego adesse hic aduocatos nobis in turba hac. TH. *mane.*

CH. *Melius est.* TH. *mane.* CH. *omitte, iam adero.* TH. *nil opus est istis, Chreme:*

Hoc dico modo, sororem illam tuam esse, & te paruam uirginem

Amisisse, nunc cognosse: signa ostende. PY. *adsunt.* TH. *cape.*

Si uim faciet, in ius ducito hominem: intelle-



xtin? CH · probe.
TH · Fac, animo haec praesenti dicas. CH · faciam.
TH · attolle pallium.
Perij, huic ipsi opus patrono est, quem defensorem paro.

ACTVS · IV · SCENA · VII

THRASO · GNATHO · SANGA
CHREMES · THAIS

HANCINE ego ut contumeliam tam insignem in me accipiam, Gnatho?
Mori me satius est. Simalio, Donax, Syrisce, sequimini.
Primum edes expugnabo. GN · recte. THR · uirginem eripiam. GN · probe. Gnatho ad oia assentatur.
THR · Male mulcabo ipsam. GN · pulchre. THR · in medium huc agmen cum uecti, Donax;
Tu, Simalio, in sinistrum cornu; tu, Syrisce, in dexterum.
Cedo alios: ubi centurio est Sanga, & manipulus furum? S · eccum adest.
THR · Quid, ignaue? peniculon pugnare, qui istum huc portes, cogitas?
S · Egone? imperatoris uirtutem noueram, & uim militum:
Sine sanguine hoc fieri non posse: qui abstergerem uulnera. Ridendo haec Sanga dicit.
THR · Vbi alij? S · qui, malum, alij? solus Sannio seruat domi.

THR. *Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: in de omnibus signum dabo.*

G. *Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cauit loco.*

THR. *Idem hoc iam Pyrrhus factitauit.* CH. *uiden tu, Thais, quam hic rem agit?*

Nimirum consilium illud rectum est de occludendis edibus.

TH. *Sane, quod tibi nunc uir uideatur esse, hic nebulo magnus est:*

Ne metuas. THR. *quid uidetur?* G. *fundam tibi nunc nimis uellem dari,*

Vt tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent fugam.

THR. *Sed eccam Thaidem ipsam uideo.* G. *quam mox irruimus?* THR. *mane.*

OMNIA *prius experiri uerbis, quam armis, sapientem decet.*

Qui scis, an, quae iubeam, sine ui faciat? G. *dij, uostram fidem,*

Quanti est sapere. numquam accedo, quin abs te abeam doctior.

THR. *Thais, primum hoc mihi responde; cum tibi do istam uirginem,*

Dixtin hos mihi dies soli dare te? TH. *quid tum postea?* TH. *rogitas?*

Quae mihi ante oculos amatorem coram adduxisti tuum.

Quid cum illo ut agas? & cum eo clam te subduxisti mihi.

TH. *Li-*

TH· Libuit· THR· Pamphilam ergo huc redde, nisi ui mauis eripi.

CH· Tibi illam reddat? aut tu eam tangas? omnium. G· ah, quid ais? tace.

CH· Quid tu tibi uis? THR· ego non tangam meam? CH· tuam autem, furcifer?

G· Caue sis: nescis, cui maledicas nunc uiro· CH· nō tu hinc abis?

Scin tu, ut tibi res se habeat? si quidquam hodie hic turbae coeperis,

Faciam huius loci, dijque, meiq· semper memineris.

GN· Miseret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.

CH· Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis· GN· ain uero, canis?

Sicine agis? THR· quis tu es homo? quid tibi uis? quid cum illa rei tibi est?

CH· Scibis· principio eam esse dico liberam· THR· hem· CH· ciuem Atticam· THR· hui·

CH· Meam sororem· THR· os durum· CH· miles, nunc adeo edico tibi,

Ne uim facias ullam in illam· Thais, ego eo ad Sophronam

Nutricem, ut eam adducam, & signa ostendam haec· THR· tun me prohibeas,

Meam ne tangam? CH· prohibeo inquam· GN· audin tu? hic furti se alligat.

CH· Satin hoc est tibi? THR· hoc idem tu ais? TH· quaere, qui respondeat.

Vide Vani impetus quem exitum sumant.

THR. *Quid nunc agimus?* GN. *quin redeamus: iam haec tibi aderit supplicans*
Vltro. TH. *credin?* GN. *immo certe: noui ingenium mulierum:*

Mulierum conditio.

NOLVNT, *ubi uelis; ubi nolis, cupiunt ultro.*
THR. *bene putas.*
GN. *Iam dimitto exercitum?* THR. *ubi uis.* G. *Sanga, ita uti fortes decet*
Milites, domique, fociq. fac uicissim ut memineris.
SAN. *Iamdudum est animus in patinis.* GN. *frugi es.*
THR. *uos me hac sequimini.*

ACTVS. V. SCENA. I

THAIS. PYTHIAS

ERGIN, *scelesta, mecum perplexe loqui?*
P *Scio, nescio: abijt: audiui: ego non adfui.*
Non tu istuc mihi dictura aperte es, quidquid est?
Virgo conscissa ueste lacrumans obticet.
Eunuchus abijt. quamobrem? quid factum est? taces?
PY. *Quid tibi ego dicam, misera? illum eunuchum negant*
Fuisse. TH. *quis fuit igitur?* PY. *iste Chaerea.*
TH. *Qui Chaerea?* PY. *iste ephebus, frater Phaedriae.*
TH. *Quid ais, uenefica?* PY. *atqui certo comperi.*
TH. *Quid is, obsecro, ad nos, quamobrem adductus est?* PY. *nescio.*

Convicium comicum in ancillas. Dolentis est, non negantis.

Nisi amasse credo Pamphilam. TH. hem, misera, occidi,
Infelix, si quidem tu istaec uera praedicas.
Num id lacrumat uirgo? PY. id, opinor. TH. quid ais, sacrilega?
Istucine interminata sum, hinc abiens, tibi?
PY. Quid facerem? ita, ut tu iusti, soli credita est.
TH. Scelesta, OVEM LVPO commisti. dispudet,
Sic mihi data esse uerba. quid hominis illic est?
PY. Hera mea, tace, obsecro, saluae sumus: hominem
Habemus ipsum. TH. ubi is est? P. hem, ad fenestram, non uides?
En. TH. uideo. PY. comprehendi iube, quantum potest.
TH. Quid illi facies, stulta? PY. quid faciam, rogas?
Vide amabo, si non, cum adspicias, os impudens
Videtur. TH. non. PY. tum, quae eius confidentia est.

ACTVS · V · SCENA · II

CHAEREA · THAIS · PYTHIAS

Hic causam reddit Chaerea cur non mutauerit uestem.

APVD Antiphonem uterque, mater, & pater,
Quasi dedita opera, domi erant, ut nullo modo
Introire possem, quin uiderent me. interim,
Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obuiam
Venit. ubi uidi, ego me in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam desertum, inde item

In aliud, inde in aliud. ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret.
Sed est ne haec Thais, quam uideo? ipsa est. haereo.
Ah, quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?

TH. Adeamus, bone uir, Dore, salue: dic mihi,
Aufugistin? CH. hera, factum. TH. satin id tibi placet?
CH. Non. TH. credin te impune habiturum. CH. unam hanc noxiam
Mitte: si aliam umquam admisero ullam, occidito.
TH. Num meam saeuitiam ueritus es? CH. non. TH. quid igitur?
CH. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
TH. Quid feceras? CH. paullulum quiddam. PY. eho, paullulum, impudens?
An paullulum esse hoc tibi uidetur, uirginem
Vitiare ciuem? CH. conseruam esse credidi.
PY. Conseruam? uix me contineo, quin inuolem in
Capillum. monstrum, etiam ultro derisum aduenit.
TH. Abi hinc insana. PY. quid ita uero? debeam,
Credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim;
Praesertim cum se seruom fateatur tuum.
TH. Missa haec faciamus. non te dignum, Chaerea,
Fecisti. nam si ego digna hac contumelia
Sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque edepol, quid nunc consili capiam, scio,
De uirgine ista: ita conturbasti mihi
Rationes omnes, ut eam non possim suis,

Ita

Ita ut aequom fuerat, atque ut studui, tradere, ut
Solidum parerem hoc mihi beneficium, Chaerea,
CH· At nunc dehinc spero aeternam inter nos gratiam
Fore· Thais saepe ex huiusmodi re quapiam, &
MALO · EX · PRINCIPIO · MAGNA · FAMILIARITAS
Conflata est· quid, si hoc quispiam uoluit deus?
TH· Equidem pol in eam partem accipioq· & uolo·
CH· Immo ita quaeso· unum hoc scito, contumeliae
Non me fecisse caussa, sed amoris· TH· scio,
Et pol propterea magis nunc ignosco tibi·
Non adeo inhumano ingenio sum, Chaerea,
Neque tam imperita, ut, quid amor ualeat, nesciam·
CH· Te quoque iam, Thais, ita me dij bene ament, amo·
PY· Tum pol ab isto tibi, hera, cauendum intellego·
CH· Non ausim· PY· nihil tibi quidquam credo· TH· desinas·
CH· Ego me tuae commendo, & committo fidei· Commendo me notis. Committo ignotis.
Nunc ego te in hac re mihi oro ut adiutrix sies:
Te mihi patronam cupio, Thais: te obsecro:
Emoriar, si non hanc uxorem duxero·
TH· Tamen, si pater· CH· quid? ah uolet, certo scio,
Ciuis modo haec sit· TH· paullulum opperirier
Si uis, iam frater ipse hic aderit uirginis:
Nutricem accersitum ijt, quae illam aluit paruolam:
In cognoscendo tute ipse aderis, Chaerea·

CH· Ego

CH. Ego uero maneo. TH. uis ne interea, dum is uenit,
Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?
CH. Immo percupio. PY. quam tu rem actura obsecro es?

Amatorie dictu.

TH. Nam quid ita? PY. rogitas? hunc tu in edes cogitas
Recipere posthac? TH. cur non? PY. crede hoc meae fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. TH. au, tace, obsecro.
PY. Parum perspexisse eius uidere audaciam.
CH. Non faciam, Pythia. PY. nō pol credo, Chaerea,
Nisi si commissum non erit. CH. quin, Pythias,
Tu me seruato. PY. neque pol seruandum tibi
Quidquā dare ausim, neque te seruare. apage te.
TH. Optime. adest ipse frater. CH. perij hercle: obsecro
Abeamus intro, Thais: nolo, me in uia
Cum hac ueste uideat. TH. quamobrem tandem? quia pudet?

Interrogatio increpatoria.

CH. Id ipsum. PY. id ipsum? uirgo uero. TH. i prae, sequar.
Tu istic mane, ut Chremem introducas, Pythias.

ACTVS. V. SCENA. III

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA

QVID? quid uenire in mentem nunc possit mihi,
Quidnā, qui referā illi sacrilego gratiā,

Qui

Qui hunc ſuppoſuit nobis? CH · moue uero ocius
Te, nutrix · S · moueo CH · uideo, ſed nil promoues ·
PY · Iam ne oſtendiſti ſigna nutrici? CH · omnia ·
PY · Amabo, quid ait? cognoſcit ne? CH · ac memo
riter ·
PY · Bene edepol narras: nam illi faueo uirgini ·
Ite intro: iamdudum hera uos exſpectat domi ·
Virum bonum eccum Parmenonem incedere — Ironicos.
Video: uide, ut otioſus ſit, ſi dijs placet ·
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo · Vindictam expectat.
Ibo intro, de cognitione ut certum ſciam:
Poſt exibo, atque hunc perterrebo ſacrilegum · Minae femineae.

ACTVS · V · SCENA · IV

PARMENO · PYTHIAS

REVISO, quidnam Chaerea hic rerum gerat ·
Quod ſi aſtu rem tractauit, dij, uoſtram fidem,
Quantã, & quam ueram laudem capiet Parmeno.
Nam ut omittã, quod ei amorem difficillimũ, &
Cariſſimum ab meretrice auara, uirginem
Quam amabat, eam confeci ſine moleſtia,
Sine ſumptu, ſine diſpendio: tum hoc alterum,
Id uero eſt, quod ego mihi puto palmarium, — palma dignum.
Me repperiſſe, quo modo adoleſcentulus
Meretricum ingenia & mores poſſet noſcere;
Mature ut cum cognorit, perpetuo oderit ·
Quae, dum foris ſunt, nihil uidetur mundius,

Nec

Nec magis compositum quidquam, nec magis elegans:
Quae, cum amatore suo cum cenant, ligurriunt.
Harum uidere ingluuiem, sordes, inopiam,
Quam inhonestae solae sint domi, atque auidae cibi,
Quo pacto ex iure hesterno panem atrum uorent.
Nosse omnia haec, salus est adolescentulis.
PY. Ego pol te pro istis dictis & factis, scelus,
Vlciscar; ut ne impune in nos illuseris.

ACTVS. V. SCENA. V

PYTHIAS. PARMENO

PRO Deum fidem, facinus foedum: o infelicem adolescentulum,
O scelestum Parmenonem, qui istum hunc adduxit. PA. quid est?
PY. Miseret me: itaque, ut ne uiderem, misera huc effugi foras.
Quae futura exempla dicunt in eum indigna? PA. o Iuppiter,
Quae illaec turba est? numnam ego perij? adibo. quid istuc, Pythias?
Quis ais? in quem exempla fient? PY. rogitas, audacissime?
Perdidisti istum, quem adduxti pro eunucho, adolescentulum,
Dum studes dare uerba nobis. PA. quid ita? aut quid factum est? cedo.
PY. Dicam,

PY· *Dicam· uirginem istam, Thaidi hodie quae dono data est,*
Scin eam hinc ciuem esse? & eius fratrem adprime nobilem?
PA· *Nescio·* PY· *atqui sic inuenta est: eam iste uitiauit miser·*
Ille ubi id resciuit factum frater uiolentissimus,
PA· *Quidnam fecit?* PY· *colligauit primum eum miseris modis:*
PA· *Colligauit? hem·* PY· *atque equidem orante, ut ne id faceret, Thaide·*
PA· *Quid ais?* PY· *nunc minatur porro sese id, quod moechis solet:*
Quod ego numquam fieri, neque uelim· PA· *qua audacia*
Tantum facinus audet? PY· *quid ita tantum?* PA· *an non hoc maxumum est?*
Quis homo pro moecho umquam uidit in domo meretricia
Deprendi quemquam? PY· *nescio·* PA· *at ne hoc nesciatis, Pythias,*
Dico, edico uobis, nostrum esse illum herilem filium· PY· *hem,*
Obsecro an is est? PA· *ne quam in illum Thais uim fieri sinat·*
Atque adeo autem cur non egomet intro eo? PY· *uide, Parmeno,*
Quid agas, ne neque illi prosis, & tu pereas: nam hoc putant,
Quidquid factum est, ex te esse ortum· P· *quid igi*

tur faciam, miser?
Quid ue incipiam? ecce autem uideo rure redeuntem senem.
Dicam huic, an non? dicam hercle: etsi mihi magnum malum
Scio paratum: sed necesse est, huic ut subueniat.
PY. sapis:
Ego abeo intro: tu isti narrato ordine, ut factũ siet.

ACTVS . V . SCENA . VI

LACHES . PARMENO

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi.
Neque agri, neque urbis odium me umquam percipit.
Vbi satias coepit fieri, commuto locum.
Sed, est ne ille noster Parmeno? & certe ipsus est.
Quem praestolare, Parmeno, hic ante ostium?
PA. Quis homo est? ehem, saluum te aduenire, here, gaudeo.
LA. Quem praestolare? P. perij: lingua haeret metu.
L. hem,
Quid est, quod trepidas? satine salue? dic mihi.
PA. Here, primũ te arbitrari id, quod res est, uelim.
Quidquid huius factũ est, culpa nõ factum est mea.
LA. Quid? PA. recte sane interrogasti, oportuit
Rem praenarasse me. emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret. LA. cui? PA. Thaidi.

LA. Emit?

LA· Emit? perij hercle · quanti? PA· uiginti minis·
LA· Actum est · PA· tum quandam fidicinam amat hic Chaerea · Desperatiȩ verbũ.
LA· Hem, quid amat? an scit iam ille, quid meretrix siet?
An in astu uenit? aliud ex alio malum · Prouerbiũ.
PA· Here, ne me spectes: me impulsore haec non facit ·
PA· Omitte de te dicere· ego te, furcifer, Pulchra Aposiopesis.
Si uiuo· sed istuc, quidquid est, primum expedi · S. ulciscar
PA· Is pro illo eunucho ad Thaidem hanc deductus est ·
LA· Pro eunuchon? PA· sic est · hunc pro moecho postea Admiratiuè.
Comprehendere intus, & constrinxere · LA· occidi ·
PA· Audaciam meretricum specta· LA· numquid est
Aliud mali, damni ue, quod non dixeris,
Reliquom? P· tantum est · LA· cesson huc intro irrumpere?
PA· Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum,
Nisi, quia necesse fuit hoc facere, id gaudeo,
Propter me hisce aliquid esse uenturum mali:
Nam iam diu aliquam caussam quaerebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret ijs: nunc repperit ·

PYTHIAS · PARMENO

Hic persona cachinans inducitur quaerens Parmenonē, Cuius aspectu ob nimiū risu vix loqui potest.

Aedepol. p. c. adverbiū Jurandi, tam virisq quā mulierib. cōe. quod est q. p aedem Pollucis

NVMQVAM *edepol quidquam iam diu,*
quod magis uellem euenire,
Mi euenit, quam quod modo senex intro
ad nos uenit errans .
Mibi solae ridiculo fuit, quae, quid timeret,
scibam .
PA · *Quid hoc autem est? PY · nunc id prodeo, ut con*
ueniam Parmenonem .
Sed, ubi obsecro est? PA · men quaerit haec? PY ·
atque eccum uideo : adibo .
PA · *Quid est, inepta? quid tibi uis? quid rides? per-*
gin? P · perij .

Haec verba pronuncianda sūt risu interrumpente.

Defessa iam sum misera te ridendo . PA · quid ita?
PY · rogitas?
Numquam edepol hominem stultiorem uidi, nec
uidebo · ah,
Nō pote satis narrari, quos ludos praebueris ītus.
At etiam primo callidum, & disertum credidi ho
minem .

Obiurgatio de levitate credendi.

Quid? illico ne credere ea, quae dixi, opor-
tuit te?
An paenitebat flagitij, te auctore quod fecisset
Adolescens, ni miserum insuper etiam patri in-
dicares?
Nam, quid illi credis animi tum fuisse, ubi ue-
stem uidit
Illam esse eum indutum pater? quid? iam scis te
perijsse?

PA · *Ehem,*

PA. Ehem, quid dixti, pessuma? an mentita es? etiam rides?
Itan lepidum tibi uisum est scelus, nos irridere? PY. nimium.
PA. Siquidem istuc impune habueris. PY. uerum. PA. reddam hercle. PY. credo:
Sed in diē istuc Parmeno est fortasse, quod minare:
Tu iam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas
Flagitijs, & eundem indicas: uterque in te exempla edent.
PA. Nullus sum. PY. hic pro illo munere tibi honos est habitus. abeo.
PA. Egomet meo indicio, miser, quasi sorex, hodie perij.

ACTVS · V · SCENA · IIX

GNATHO · THRASO

QVID nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid inceptas, Thraso?
TH. Ego ne? ut Thaidi me dedam, & faciam, quod iubeat. GN. quid est?
TH. Qui minus huic, quam Hercules seruiuit Omphale? GN. exemplum placet.
Vtinam tibi commitigari uideam sandalio caput.
Sed quid? fores crepuere ab ea. quid autem hoc est mali?
Hunc ego numquam uideram etiam. quidnam properans hinc prosilit?

CHAEREA · PARMENO · PHAEDRIA
GNATHO · THRASO

O POPVLARES, ecquis me uiuit hodie for
tunatior?
Nemo hercle quisquam: nam in me plane dij potestatem suam
Omnem ostendere, qui tam subito tot congruerint commoda.
PA· Quid hic laetus est? CH· o Parmeno mi, o mearum uoluptatum omnium
Inuentor, inceptor, perfector, scin me in quibus sim gaudijs?
Scis Pamphilam meam inuentam ciuem. PA· audiui. C· scis sponsam mihi?
PA· Bene, ita me di ament, factum. GN· audin tu illum quid ait? C· tum autem Phaedriae,
Meo fratri, gaudeo amorem esse omnem in tranquillo: una est domus:
Thais patri se commendauit, in clientelam & fidem
Nobis dedit se. P· fratris igitur Thais tota est. CH· scilicet.
PA· Iam hoc aliud est, quod gaudeamus: miles pellitur foras.
CH· Tum tu, frater, ubi ubi est, fac quamprimum haec audiat. PA· uisam domum.
TH· Numquid, Gnatho, dubitas, quin ego nunc perpetuo perierim? GN· sine
Dubio opinor. CH· quid commemorem primum,

aut quem laudem maxume ?
Illum, qui mihi dedit consilium ut facerem ; an
me, qui id ausus sim
Incipere ? an fortunam collaudem, quae guberna-
trix fuit,
Quae tot res, tantas, tam opportune in unum con-
clusit diem? an
Mei patris festiuitatem, & facilitatem ? o Iup-
piter,
Serua obsecro haec nobis bona. PH. dij, uostram fi dem, incredibilia — Obsecratio contra fortunae varietatem.
Parmeno modo quae narrauit. sed ubi est frater ?
CH. praesto est. PH. gaudeo.
CH. Satis credo. nihil est Thaide hac, frater, tua di gnius, — Laus Thaidis a Cherea
Quod ametur : ita nostrae est omni fautrix fami-
liae. PH. hui mihi,
Illam laudas? TH. perij, quanto spei est minus, tan to magis amo. — Insanissimus amor est quo frui non licet.
Obsecro, Gnatho, in te spes est. GN. quid uis fa-
ciam ? TH. perfice hoc
Precibus, pretio, ut haeream aliqua in parte ta
men apud Thaidem
GN. Difficile est. TH. si quid collibuit, noui te, hoc si
effeceris.
Quoduis donum, praemium a me optato, id opta-
tum feres
GN. Itane ? TH. sic erit. GN. hoc efficio, postulo ut
mihi tua domus — Domus parasito dignum.
Te praesente, absente pateat, inuocato ut sit locus

Semper. TH. do fidem, ita futurum. GN. accingar.
PH. quem hic ego audio?
O Thraso. T. saluete. PH. tu fortasse, quae facta hic sient,
Nescis. T. scio. PH. cur ergo in his te ego conspicor regionibus?
T. Vobis fretus. PH. scis, quam fretus? miles, edico tibi,
Si in platea hac te offendero post umquam; quod dicas mihi,
Alium quaerebam, iter hac habui: perijsti. GN. eia, haud sic decet.
P. Dictum est. GN. non cognosco uostrum tam superbum. PH. sic erit.
G. Prius audite paucis: quod cum dixero, si placuerit,
Facitote. PH. audiamus. GN. tu concede paullum istuc, Thraso.
Principio ego uos credere ambos hoc mihi uehementer uelim,
Me, huius quidquid facio, id facere maxume caussa mea:
Verum, idem si uobis prodest, uos non facere inscitia est.
PH. Quid id est? G. militem riualem ego recipiendum censeo. PH. hem,
Recipiendum? G. cogita modo. tu hercle cum illa, Phaedria,
Et libenter uiuis, & enim bene libenter uictitas,
Et quod des paullum, & necesse est multum accipere

Superbe, ac minaciter pronunciandum.

Intimuit.

Insinuandi praecepta seruat.

pere Thaidem,
Vt tuo amori ſuppeditare poſſit ſine ſumptu tuo; ad
Omnia haec magis opportunus, nec magis ex uſu tuo
Nemo eſt · principio & habet quod det, & dat nemo largius:
Fatuus eſt, inſulſus, tardus, ſtertit noctesq., & dies.
Neque tu iſtum metuas ne amet mulier: pellas facile, ubi uelis.
PH· Quid agimus? GN· praeterea hoc etiam, quod ego uel primum puto,
Accipit homo nemo melius prorſus, neque prolixius.
PH· Mirum, ni illoc homine, quoquo pacto opus eſt. CH· idem arbitror.
GN· Recte facitis · unum etiam hoc uos oro, ut me in uoſtrum gregem
Recipiatis: ſatis diu hoc iam ſaxum uoluo · P· recipimus.
CH· Ac libenter · G· at ego pro iſtoc, Phaedria, & tu, Chaerea,
Hunc comedendum, & deridendum uobis praebeo. CH· placet.
PH· Dignus eſt · G· Thraſo, ubi uis, accede · T· obſecro te, quid agimus?
G· Quid? iſti te ignorabant · poſtquam eis mores oſtendi tuos,
Et collaudaui ſecundum facta & uirtutes tuas,

Impetraui · TH · *bene fecisti* · *gratiam habeo maxumam* ·

Numquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum ·

GN · *Dixin ego uobis, in hoc esse Atticam elegantiam?*

PH · *Nil praeter promissum est* · *ite hac* · *uos ualete, & plaudite* ·

HEAVTON TIMORVMENOS

TERENTII

ACTA · LVDIS · MEGALENSIB·

L.CORNELIO.LENTVLO.ET.L.VALERIO.FLACCO.AED.CVR.

EGIT

L · AMBIVIVS · TVRPIO

MODOS. FECIT

FLACCVS · CLAVDI

ACTA · PRIMVM · TIBIIS · IMPARIBVS

DEINDE · DVABVS · DEXTRIS

ACTA . ETIAM . III

TI · SEMPRONIO · M' · IVVENTIO · COS·

C. SVLPICII. APOLLINARIS PERIOCHA

In militiam proficisci gnatum Cliniam,
Amantem Antiphilam, compulit durus pater:
Animiq. sese angebat, facti paenitens.
Mox, ut reuersus est, clam patrem deuortitur
Ad Clitiphonem. is amabat scortum Bacchidem.
Cum accerseret cupitam Antiphilam, Clinia,
Vt eius Bacchis uenit amica, ac seruolae
Habitum gerens Antiphila. factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho. hic technis Syri
Decem minas meretriculae aufert a sene.
Antiphila Clitiphonis reperitur soror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho uxorem accipit.

HEAVTON TIMORVMENV
PERSONAE. EARVMQVE INTERPRETATIO

CHREMES, ſenex.
MENEDEMVS, ſenex, ἤτοι τὸ τοῦ δήμου μένος, ἢ μένων παρὰ τῷ δήμῳ, uel robur populi, vel apud populum manens.
CLITIPHO, adoleſcens, κλειτὸν φῶς, claritas lucis.
CLINIA, adoleſcens, παρὰ τὸ κλεινὸν, a celebritate.
SYRVS, ſeruus, nomen gentile.
DROMO, ſeruus.
BACCHIS, meretrix, ἀπὸ τοῦ βάκχος.
ANTIPHILA, amaſia, ἡ ἐν τῷ μέρει φιλοῦσα, redamans, vel contra amans.
SOSTRATA, matrona, τὸν στρατὸν σώζουσα, a ſalute copiarum: femininum eſt, de maſculinis factum.
NVTRIX.
PHRYGIA, ancilla, gentile nomen.

Sequentium hic tantum mentio fit.

ARCHONIDES, ſenex, ἀπὸ τοῦ ἄρχων παρωνύμου, eſt principatus in eo nomine ſignificatio.
PHANOCRATES, ſenex, φανερὸν τὸ κράτος, manifeſtum ſeu illuſtre robur.

Captatio beneuolentiae a persona poetae.

NE cui sit uostrum mirum, cur partes seni
Poeta dederit, quae sunt adolescentium:
Id primũ dicã: deĩde, quod ueni, eloquar.

Propositio p.a

Ex integra graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heauton timorumenon,
Duplex quae ex argumento facta est simplici.
Nouã esse ostendi, et quae esset nũc, qui scripserit,
Et cuia graeca sit, ni partem maxumam
Existimarem scire uostrum, id dicerem.

Propo. 2.a

Nũc, quã ob rẽ has partes didicerim, paucis dabo.
Oratorem uoluit esse me, non prologum:
Vestrum iudicium fecit: me actorem dedit.
Sed hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,

Comendatio a psona actoris, et poete.

Qui orationem hanc scripsit, quã dicturus sum.
Nam quod rumores distulerunt maleuoli,
Multas contaminasse graecas, dum facit
Paucas latinas: factum hic esse id non negat,

Defensio. Quod aemuli uitio dant, id laudi sibi ducit.

Neque se pigere, & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo sibi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putat.
Tum quod maleuolus uetus poeta dictitat,

Studium musicum i. poeticum. Ab ingenio, et studio.

Repente ad studium hunc se applicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium uestrum, uestra existimatio
Valebit. quam ob rem omnes uos oratos uolo,
Ne plus iniquum possit, quam aequum oratio.
Facite, aequi sitis, date crescendi copiam,
Nouarum qui spectandi faciunt copiam

Sine

Sine uitijs : ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit seruo currenti in uia
Decesse populum : cur insano seruiat ?
De illius peccatis plura dicet, cum dabit
Alias nouas, nisi finem maledictis facit.
Adeste aequo animo : date potestatem mihi,
Statariam agere ut liceat per silentium :
Ne semper seruos currens, iratus senex,
Edax parasitus, sycophanta autem impudens,
Auarus leno, assidue agendi sint mihi
Clamore summo, cum labore maxumo.
Mea caussa, caussam hãc iustã esse, animũ inducite,
Vt aliqua pars laboris minuatur mihi :
Nam, nunc nouas qui scribunt, nihil parcunt seni.
Laboriosa si qua est, ad me curritur :
Sin lenis est, ad alium defertur gregem.
In hac est pura oratio. experimini,
In utramque partem ingenium quid possit meum.
Si numquam auare pretium statui arti meae :
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumũ,
Quammaxume seruire uostris commodis :
Exemplum statuite in me, ut adolescentuli
Vobis placere studeant potius, quam sibi.

Ha[...] pro poëta dixit.

Variae comediarum personae.

Paronomasia
Captat beneuolentiam
a commendatione [...].

Commendatio a persona
propria.

Plus est, quam si dixisset
voluptatis.

CHREMES · MENEDEMVS

Capt.o beneuolentiae, ab Amicitia, et ex uicinitate.

QVAMQVAM haec inter nos nupera notitia admodum est,
Inde adeo, quod agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec rei fere sane amplius quidquam fuit:
Tamen uel uirtus tua me, uel uicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit, ut te audacter moneam, & familiariter,
Quod mihi uidere praeter aetatem tuam
Facere, & praeter quam res te adhortatur tua.
Nam pro deum, atque hominum fidem, quid uis tibi? aut
Quid quaeris? annos sexaginta natus es.
Aut plus eo, ut conijcio. agrum in his regionibus
Meliorem, neque pretij maioris nemo habet:
Seruos complures: proinde quasi nemo siet,
Ita tute attente illorum officia fungere.
Numquam tam mane egredior, neque tam uespere
Domum reuertor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.
Nullum remittis tempus, neque te respicis.
Haec non uoluptati tibi esse, satis certo scio.
At enim me, quantum hic operis fiat, paenitet.
Quod in opere faciundo operae consumis tuae,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.

ME. Chreme, tantum ne est ab re tua otij tibi,
Aliena ut cures, eaque, nihil quae ad te attinent?

CH. Homo sum: humani a me nihil alienum puto.

Vel

Marginal notes (manuscript): Haec ambos seni co'= uinctio, et familiaritas multum accomodata se= quentib. reb. censetur. — Prope, qua interro= gat, et obiurgat. — Nimia senis inqui= etudo. — .i. plus efficeres.

Vel me monere hoc, uel percunctari puta.
Rectum est? ego ut faciam: non est? te ut deteream. i. officiosi est
ME· *Mihi sic est usus: tibi ut opus est facto, face.*
CH· *An cuiquam est usus homini, se ut cruciet?* M· *mihi est.* Usus, pro, Opus.
CH· *Si quid laboris est, nollem: sed istuc quid mali est?* s. me cruciare laborando.
Quaeso, quid de te tantum meruisti? M· *heu, hoi.*
CH· *Ne lacruma, atque istuc, quidquid est, fac me ut sciam.*
Ne retice: ne uerere: crede, inquam, mihi:
Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero. His tribus rebus adhibitis
ME· *Scire hoc uis?* CH· *hac caussa equidem, qua dixi tibi.* nihil praeterea in amicitia requirendum.
ME· *Dicetur.* CH· *at istos rastros interea tamen*
Depone, ne labora. ME· *minime.* CH· *quã rẽ agis?*
ME· *Sine me, uacuum tempus ne quod duim mihi*
Laboris. CH· *non sinam inquam.* ME· *ah, non aequom facis.*
CH· *Hui, tam graues hos quaeso?* ME· *sic meritum est meum.*
CH· *Nunc loquere.* ME· *filium unicum adolescentulũ* Narratione à personis orditur.
Habeo. ah quid dixi habere me? ĩmo habui Chreme.
Nunc habeam, nec ne, incertum est. CH· *quid ita istuc?* ME· *scies.*
Est e Corintho hic aduena anus paupercula.
Eius filiam ille amare coepit perdite,
Prope iã ut pro uxore haberet. haec clã me omnia.
Vbi rem resciui, coepi non humanitus humaniter.

Neque

Neque ut aegrotum animum decuit adolescentuli,
Tractare, sed ui, & uia peruolgata patrum:
Quotidie accusabam: hem: tibi ne haec diutius
Licere speras facere me uiuo patre,
Amicam ut habeas prope iam in uxoris loco?
Erras, si id credis, & me ignoras, Clinia.
Ego te meum esse dici tantisper uolo,
Dũ, quod te dignum est, facies; sed si id non facis,
Ego, quod me in te sit facere dignum, inuenero.
Nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego istuc aetatis non amori operam dabam,
Sed in Asiam abij hinc propter pauperiem, atque ibi
Simul rem & gloriam armis belli repperi.
Postremo adeo res redijt: adolescentulus
Saepe eadem, & grauiter audiendo uictus est:
Aetate me putauit, & sapientia
Plus scire, & prouidere, quam se ipsum sibi:
In Asiam ad regem militatum abijt, Chreme.
CH. Quid ais? ME. clam me profectus, menses tres abest.
CH. Ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen
Animi est pudentis signum, & non instrenui.
ME. Vbi comperi ex ijs, qui ei fuere conscij,
Domum reuertor maestus, atque animo fere
Perturbato, atque incerto prae aegritudine:
Adsido: accurrunt serui: soccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Cenam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.

Vbi

Amor ex otio prouenit.

Cum pondere pronuncianda. Oratio tota pathetica.

Attende diligenter familiam.

i. ad pompam parare.

Vbi uideo haec, coepi cogitare, hem tot mei
Solius sollicitisunt caussa, ut me unum expleant?
Ancillae tot me uestiant? sumptus domi
Tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa aetas magis ad haec utenda idonea est,
Ego eum hinc eieci miserum iniustitia mea.
Malo quidem me dignum quouis deputem,
Si id faciam: nã usque dum ille uitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas iniurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo,
Laborans, quaerens, parcens, illi seruiens.
Ita facio prorsus: nihil relinquo in edibus,
Nec uas, nec uestimentum: conrasi omnia:
Ancillas, seruos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facile sumptum exercerent suum,
Omnes produxi, ac uendidi: inscripsi illico
Edes mercede: quasi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo:
Decreui, tantisper me minus iniuriae,
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser;
Nec fas esse ulla me uoluptate hic frui,
Nisi ubi illuc saluos redierit meus particeps.
CH· *Ingenio te esse in liberos leni puto, &*
Illum obsequentem, si quis recte aut commode
Tractaret· uerum neque tu illum satis noueras,
Nec te ille· hoc ubi fit, ibi non uere uiuitur.
Tu illum, numquam ostendisti, quanti penderes:
Nec tibi ille est credere ausus quae est aequom
patri.

Pater.
Iniustitiá suá culpat.
i. seruans.
i. foras duxi. Hinc productores, qui virgines ad quaestum exponunt.
liberos de unico filio dixit.

Quod ſi eſſet factum, haec numquã eueniſſent tibi.
ME. Ita res eſt, fateor: peccatum a me maxumum eſt.
CH. Menedeme, at porro recte ſpero: & illum tibi
Saluum affuturum eſſe hic confido propediem.
ME. Vtinam dij ita faxint. CH. facient. nunc, ſi com modum eſt,
Dionyſia hic ſunt, hodie apud me ſis uolo.
ME. Non poſſum. CH. cur non? quaeſo tandem ali- quantulum
Tibi parce: idem abſens facere te hoc uolt filius.
ME. Non conuenit, qui illum ad laborem impellerim,
Nunc me ipſum fugere. CH. ſicine eſt ſententia?
ME. Sic. CH. bene uale. ME. & tu. CH. lacrumas excuſſit mihi,
Miſeretq. me eius: ſed, ut diei tempus eſt,
Monere oportet me hunc uicinum Phaniam,
Ad cenam ut ueniat: ibo, ut uiſam ſi domi eſt.
Nil opus fuit monitore: iamdudum domi,
Aiũt, praeſto apud me eſſe: egomet cõuiuas moror.
Ibo adeo hinc intro. ſed, quid crepuerunt fores?
Hinc a me quiſnam egreditur? huc conceſſero.

ACTVS I. SCENA II

CLITIPHO. CHREMES

NIHIL adhuc eſt, quod uereare, Clinia:
haudquaquam etiam ceſſant:
Et illam ſimul cum nuncio tibi hic ego af futuram
Hodie, ſcio. proin tu ſollicitudinem iſtam falſam,
quae

quae te
Excruciat, omittas. CH. quicum loquitur filius?
CLI. pater adest,
Quem uolui. adibo. pater, opportune aduenis.
CH. Quid est? CL. hunc Menedemum nosti ne, nostrum
uicinum? CH. probe.
CLI. Huic filium scis esse? CH. audiui, in Asia. CLI.
non est pater, apud
Nos est. CH. quid ais? CLI. aduenientem, e naui
egredientem adduxi illico
Ad cenam: nam mihi magna cum eo iam inde us-
que a pueritia
Semper fuit familiaritas. CH. uoluptatem ma-
gnam nuncias.
Quam uellem Menedemum inuitatum, ut nobis-
cum hodie esset amplius,
Vt hanc laetitiam nec opinanti primus ei obijce-
rem domi:
Atque etiam nunc tempus est. CLI. caue faxis:
non est opus, pater.
CH. Quapropter? CLI. quia enim incertum est et-
iam, quid se faciat. modo uenit.
Timet omnia, patris iram, & animum amicae se
erga ut sit suae.
Eam misere amat. propter eam haec turba, atque
abitio euenit. CH. scio.
CLI. Nunc seruolum ad eam in urbem misit, & ego
nostrum una Syrum.
CH. Quid narrat? CLI. quid ille? se miserum esse.
CH. miserum? quem minus credere est?

Quid relliqui est, quin habeat, quae quidem in homine dicuntur bona?

Miser no' est cui haec suppetunt.

Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias.

Externorum bonorum fructus ab animo pedet.

Atque haec perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:

Qui uti scit, ei bona; illi, qui non utitur recte, mala.

CLI. Immo ille senex fuit importunus semper: & nunc nihil magis

Vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit pater.

Haec tacite secum.

CH. Ille ne? sed reprimam me: nam, in metu esse hunc, illi est utile.

Ecclipsis.

CLI. Quid tute tecum? CH. dicam. ut ut erat, mansum tamen oportuit,

i. Maerore.

Callida, et solers remis inventio.

Fortasse aliquanto iniquior erat, praeter eius lubidinem:

Pateretur: nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

Ab aequo, et honesto.

Huncine erat aequom ex illius more, an illum ex huius ui uere? &

Quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum iniuriae

Vniusmodi sunt ferme, paullo qui est homo tolerabilis.

Scortari crebro nolunt: nolunt crebro conuiuarier:

Praebent exigue sumptum: atque haec sunt tamen ad uirtutem omnia.

Verum

Verum, ubi animus ſemel ſe cupiditate deuinxit mala,
Neceſſe eſt, Clitipho, conſilia conſequi conſimilia · hoc
Scitum eſt, periclum ex aliis facere, tibi quod ex uſu ſiet ·
CLI · *Ita credo ·* CH · *ego ibo hinc intro, ut uideam, nobis quid cenae ſiet ·*
Tu, ut tempus eſt diei, uide, ſis, ne quo hinc abeas longius : pro, quandiu.
CLI · *Quam iniqui ſunt patres in omnes adoleſcentes iudices :* Querimonia Clitiphonis aduersus patrem.
Qui aequom eſſe cenſent, nos iam a pueris illico naſci ſenes,
Neque illarum affines rerum eſſe, quas fert adoleſcentia ·
Ex ſua libidine moderantur, quae eſt nunc, non quae olim fuit ·
Mihi ſi umquam filius erit, ne ille facili me utetur patre ·
Nam & cognoſcendi, & ignoſcendi dabitur peccati locus : Nam qui alias deliquit delinquentibus facile parcet.
Non ut meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam ·
Perii : is mihi, ubi adbibit plus paullo, ſua quae narrat facinora ·
Nunc ait periclum ex aliis facito, tibi quod ex uſu ſiet ·
Aſtutus · nae ille haud ſcit, quam mihi nunc SVRDO · NARRET · FABVLAM · Petulans filius patris praecepta contemnit.

Magis nunc me amicae dicta stimulant: Da mihi, atque affer mihi:
Cui quid respondeam, nihil habeo: neque me quisquam est miserior.
Nam Clinia hic, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciae.
Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.
Tum, quod dem ei, recte est. nam, nihil esse mihi, relligio est dicere.
Hoc ego mali non pridem inueni: neque etiam dum scit pater.

ACTVS . II . SCENA . I

CLINIA . CLITIPHO

SI MIHI *secundae res de amore meo essent, iamdum scio*
Venissent: sed uereor, ne me absente mulier hic corrupta sit.
Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant:
Occasio, locus, aetas, mater, sub imperio cuius est, mala;
Cui nihil praeter pretium iam dulce est. CLIT. *Clinia.* CLIN. *hei misero mihi.*
CLIT. *Etiam caues, ne uideat forte hinc te a patre aliquis exiens?*

CLIN. *Fa-*

CLIN · *Faciam: ſed neſcio quid profecto mihi animus praeſagit mali.*

CLIT · *Pergin iſtuc prius dijudicare, quam ſcis quid ueri ſiet?*

CLIN · *Si nihil mali eſſet, iam hic adeſſent.* CLIT · *iam aderunt.* CLIN · *quando iſtuc erit?* .s. Antiphila.

CLIT · *Non cogitas hinc longule abeſſe? & noſti mores mulierum:*

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. CLIN · *o Clitipho,*

Timeo. CLIT · *reſpira: eccum Dromonem cum Syro: una adſunt tibi.*

ACTVS · II · SCENA · II

SYRVS · DROMO · CLINIA CLITIPHO

AIN tu? DR · *ſic eſt.* SY · *uerum, interea dum ſermones caedimus,*

Illae ſunt relictae. CLIT · *mulier tibi adeſt, audin, Clinia?*

CLIN · *Ego uero audio nunc demum, & uideo, & ualeo, Clitipho.*

CLIT · *Minime mirum: adeo impeditae ſunt: ancillarum gregem*

Ducunt ſecum. CLIN · *perij, unde illi ſunt ancillae?* CLIT · *men rogas?*

SY · *Non oportuit relictas: portant quid rerum?* i. magnas, sive multas res.
CLIN · *hei mihi.*

SY · *Aurum, ueſtem: & ueſperaſcit, & non noue-*

runt uiam.
Factum a nobis stulte est. abi dum tu, Dromo, illis obuiam,
Propera: quid stas? CLIN. uae misero mihi, quanta de spe decidi.
CLIT. Quid istuc? quae res te solicitat autem? CLIN. rogitas, quid siet?
Viden tu ancillas, aurum, uestem? quam cum una hic ancillula
Ego reliqui. unde ea esse censes? CLIT. uah, nunc demum intellego.
SY. Dij boni, quid turbae est? edes nostrae uix capient, scio.
Quid comedent? quid ebibent? quid seni erit nostro miserius?
Sed uideo, eccos, quos uolebam. CLIN. o Iuppiter, ubinam est fides?
Cliniae exclamatio ad amicam.
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Collocupletasti te, Antiphila, & me in his deseruisti malis,
Propter quam in summa infamia sum, & meo patri minus sum obsequens:
Cuius nunc pudet me, & miseret, qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra: neque potuisse eum umquam me ab hac expellere.
Quod nunc faciam tamen: tum cum gratum mihi esse potuit, nolui.
Nemo est miserior me. SY. hic de nostris uerbis errat

rat uidelicet, — Videlicet, et scilicet amaritudine sapore.
Quae hic sumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque est, accipis:
Nam & uita est eadem, & animus te erga idem ac fuit,
Quantum ex ipsa re coniecturam cepimus.
CLIN. *Quid est obsecro? nam mihi nunc nihil rerum omnium est,*
Quod malim, quam me hoc falso suspicarier.
SY. *Hoc primum, ut ne quid huius ignores: anus*
Quae est dicta mater esse ei antehac, non fuit:
Ea obijt mortem: hoc ipsa in itinere alterae — pro, altori.
Dum narrat, forte audiui. CLIT. *quaenam est altera?*
SY. *Mane, hoc, quod coepi, primum enarrem, Clitipho:*
Post istuc ueniam. CLIT. *propera.* SY. *iam primum omnium,* — Sic incipit multa pudicitiae signa narrans.
Vbi uentum ad edes est, Dromo pultat fores:
Anus quaedam prodit: haec ubi aperuit ostium,
Continuo hic se coniecit intro, ego consequor:
Anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit. — Vehemens pudicitiae coniectura.
Hinc sciri potuit, aut nusquam alibi, Clinia,
Quo studio uitam suam te absente exegerit:
Vbi de improuiso est interuentum mulieri.
Nam ea res dedit tum existumandi copiam
Quotidianae uitae consuetudinem;
Quae, cuiusque ingenium ut sit, declarat maxume.

Texentem

Texentem telam ſtudioſe ipſam offendimus,
Mediocriter ueſtitam ueſte lugubri,
Eius anus cauſſa opinor, quae erat mortua,
Sine auro tum ornatam, ita uti quae ornātur ſibi,
Nulla mala re eſſe expolitam muliebri:
Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Reiectus neglegenter, pax. CLIN. Syre mi, obſecro,
Ne me in laetitiam fruſtra conijcias. SY. anus
Subtemen nebat: praeterea una ancillula
Erat: ea texebat una, pannis obſita
Neglecta, ĩmũda illuuie. CLIT. ſi haec ſunt Clinia
Vera, ita uti credo; quis te eſt fortunatior?
Scin hanc, quam dicit ſordidatam, & ſordidam?
Magnum hoc quoque ſignum eſt dominam eſſe extra noxiam,
Cum eius tam negleguntur internuncij.
Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier
Ancillas, primum ad dominas qui affectãt uiam.
CLIN. Perge, obſecro te, & caue ne falſam gratiam
Studeas inire. quid ait, ubi me nominas?
SY. Vbi dicimus rediſſe te, & rogare uti
Veniret ad te; mulier telam deſerit
Continuo, & lacrumis opplet os totum ſibi; ut
Facile ſcires deſiderio id fieri tuo.
CLIN. Prae gaudio (ita me dij ament) ubi ſim neſcio.
Ita timui. CLIT. at ego nihil eſſe ſcibam, Clinia.
Agendum uiciſſim, Syre, dic quae illa eſt altera.

SY. Ad-

SY · *Adducimus tuam Bacchidem ·* CLIT · *hem, quid Bacchidem?*

Eho, ſceleſte, quo illam ducis? SY · *quo illam ego? ad nos ſcilicet ·*

CLIT · *Ad patrem ne?* SY · *ad eum ipſum ·* CLIT · *o hominis impudentem audaciam ·* SY · *heus*

Tu, non fit ſine periculo facinus magnum, & memorabile ·

CLIT · *Hoc uide : in mea uita tu tibi laudem is quaeſitum, ſcelus :*

Vbi, ſi paullulum modo quid te fugerit, ego perierim ·

Quid illo facias? SY · *at enim ·* CLIT · *quid enim?* SY · *ſi ſinas, dicam ·* CLIN · *ſine ·*

CLIT · *Sino ·* SY · *ita res eſt, haec nunc quaſi cũ ·* CLIT · *quas, malum, ambages mihi*

Narrare occipit? CLIN · *Syre, uerum hic dicit : mitte : ad rem redi ·*

SY · *Enimuero reticere nequeo : multimodis iniurius*

Clitipho es : neque ferri potis es · CLI · *audiendum hercle eſt : tace ·*

SY · *Vis amare : uis potiri : uis, quod des illi, effici ·*

Tuum eſſe in potiundo periculum nõ uis · haud ſtulte ſapis :

Siquidem id ſapere eſt, uelle te id, quod non poteſt contingere ·

Aut haec cum illis ſunt habenda, aut illa cum his mittenda ſunt ·

Harum duarum condicionum nunc utram malis, uide :

Etſi

Etsi consilium, quod coepi, rectum esse & tutum scio:
Nam tua apud patrem amica tecum sine metu ut sit, copia est:
Tum, illi argentum quod pollicitus es, eadem hac inueniam uia:
Quod ut efficerem, orando surdas iam aures reddideras mihi.
Quid aliud tibi uis? CLIT. *siquidem hoc fit.* S. *siquidem experiundo scies.*
CLIT. *Age age, cedo istuc tuum consilium quid id est?* SY. *assimulabimus,*
Tuam amicam huius esse. CLIT. *pulchre: cedo: quid hic faciet sua?*
An ea quoque huius dicetur, si haec una dedecori est parum?
SY. *Immo ad tuam matrem abducetur.* CLIT. *quid eo?* S. *longum est, Clitipho,*
Tibi si narrem, quam ob rem id faciam: uera caussa est. CLIT. *fabulae.*
Nihil satis firmi uideo, quamobrem accipere hũc mihi expediat metum.
SY. *Mane, habeo aliud, si istuc metuis, quod ambo confiteamini*
Sine periculo esse. CLIT. *huiusmodi, obsecro, aliquid reperi.* SY. *maxume.*
Ibo obuiam hinc: dicam, ut reuortantur domum. CLIT. *hem,*
Quid dixti? SY. *ademptum tibi iam faxo omnem metum,*

Repetitio cũ stomacho.
i. subire.
reperi, imperatiuũ.

IN

IN AVREM *utramuis otiose ut dormias.*
CLIT· *Quid ago nunc?* CLIN· *tu ne? quod boni*
CLIT· *Syre, dic modo*
Verum· SY· *age modo: hodie sero: ac nequidquam uoles.*
CLIN· *Datur modo, fruere, dum licet: nam nescias,*
Eius sit potestas posthac, an numquam, tibi.
CLIT· *Syre, inquã·* SY· *perge porro, tamen istuc ago.*
CLIT· *Verum hercle istuc est· Syre, Syre inquam, heus heus, Syre.*
SY· *Concaluit: quid uis?* CLIT· *redi, redi·* SY· *adsum, dic, quid est?*
Iam hoc quoque negabis tibi placere· CLIT· *immo, Syre,*
Et me, & meum amorem, & famam, permitto tibi.
Tu ex iudex: ne quid accusandus sis, uide.
SY· *Ridiculum est, te istuc me admonere, Clitipho:*
Quasi istic minor mea res agatur, quam tua.
Hic, si quid nobis forte aduorsi euenerit,
Tibi erunt parata uerba, huic homini uerbera.
Quapropter neutiquam haec res neglectu est mihi.
Sed istum exora, ut suam esse assimulet. CLIN· *scilicet,*
Facturum me esse· in eum iam res rediit locum,
Vt sit necesse· CLIT· *merito te amo, Clinia.*
CLIN· *Verum illa ne quid titubet·* SY· *perdocta est probe.*
CLIT· *At hoc demiror, qui tam facile potueris*
Persuadere illi, quae solet quos spernere?
SY· *In*

SY· *In tempore ad eam ueni; quod rerum omnium est*
Primum: nam misere quendam offendi ibi militem
Eius noctem orantem· haec arte tractabat uirum,
Cupidum ut illius animum inopia incenderet,
Eademq· ut apud te esset ob hoc quam gratissima·
Sed heus tu, uide, sis, ne quid imprudens ruas·
Patrem nouisti, ad has res quam sit perspicax:
Ego te autem noui, quam esse soleas impotens·
Inuersa uerba, euersas ceruices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus, abstine·
CLIT· *Laudabis·* SY· *uide, sis·* CLIT· *tutemet mirabere·*
SY· *Sed quam cito sunt consecutae mulieres?*
CLIT· *Vbi sunt? cur retines?* SY· *iam nunc haec non est tua·*
CLIT· *Scio, apud patrem, at nunc interim·* SY· *nihilo magis·*
CLIT· *Sine·* SY· *non sinam, inquam·* CLIT· *quaeso paullisper·* SY· *ueto·*
CLIT· *Saltem salutare·* SY· *abeas, si sapis·* CLIT· *eoquid*
Istic? SY· *manebit·* CLIT· *o felicem hominem·* SY· *ambula·*

ACTVS · II · SCENA · III

BACCHIS · ANTIPHILA · CLINIA · SYRVS

EDEPOL, *Antiphila mea, laudo, & fortunatam iudico,*
Id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles

ſimiles forent:

Minimeq· (ita me dij ament) miror, ſi te ſibi quiſque expetit·

Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio·

Et cum egomet nunc mecum in animo uitam tuam conſidero,

Adeoq· uoſtrarum omnium, uolgus quae ab ſeſe ſegregant,

Et uos eſſe iſtiuſmodi, & nos non eſſe, haud mirabile eſt·

Nam uobis expedit eſſe bonas; nos, quibus cum res eſt, non ſinunt·

Quippe, forma impulſi noſtra, nos amatores colunt: Amatoris forma.

Haec ubi imminuta eſt, illi ſuum animum alio conferunt·

Niſi proſpectum eſt interea aliquid nobis, deſertae uiuimus·

Vobis cum uno ſemel ubi aetatem agere decretum eſt uiro, Laus a Pudicitia.

Cuius mos maxume eſt conſimilis uoſtrum; hi ſe ad uos applicant·

Hoc beneficio utrique ab utriſq· uero deuincimini; Comendatio a fide in uiru.

Vt numquam ulla amori uoſtro incidere poſſit calamitas·

AN· Neſcio alias: me ſcio quidē ſemper feciſſe ſedulo, Mire oportunum ethos.

Vt ex illius commodo meum compararem commodum· CLIN· ab·

Ergo, mea Antiphila, tu nunc ſola reducem me in patriam

patriam facis.

Nam, dum abs te absum, omnes mihi labores fue
re, quos cepi, leues,

Praeterquam tui carendum quod erat. SY. credo.
CLIN. Syre, uix suffero.

Hocine me miserum non licet meo modo ingenio
frui?

SY. Immo, ut patrem tuum uidi esse habitum, diu
etiam duras dabit.

B. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? A.
ah, retine me obsecro.

B. Amabo, quid tibi est? A. disperij. B. perij, misera,
quid stupes,

Antiphila? A. uideon Cliniam, an non? B. quem
uides? CLIN. salue, anime mi.

A. O mi exspectate Clinia, salue. CLIN. ut uales?

A. Saluon uenisse gaudeo. CLIN. teneo ne te,
Antiphila, animo maxime exoptatam meo?

SY. Ite intro: nam uos iamdudum exspectat senex.

ACTVS. III. SCENA. I

CHREMES. MENEDEMVS

LVCISCIT hoc iam: cesso pultare o-
stium

Vicini? primum ex me ut sciat, sibi filiũ
Rediisse. etsi adolescentem hoc nolle intellego.
Verum, cum uideam miserum hunc tam excrucia-
rier

Eius abitu, celem tam insperatum gaudium,

Cum

Cum illi nihil pericli ex indicio siet?
Haud faciam: nam, quod potero, adiutabo senem.
Item ut filium meum amico, atque aequali suo
Video inseruire, & socium esse in negotijs:
Nos quoque senes est aequom senibus obsequi.
ME· *Aut ego profecto ingenio egregie ad miseriam*
Natus sum; aut illud falsum est, quod uolgo audio
Dici, DIEM *adimere aegritudinem hominibus:*
Nam mihi quidem quotidie augescit magis
De filio aegritudo; &, quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, & magis desidero.
CH· *Sed ipsum egressum foras uideo: ibo, alloquar.*
Menedeme, salue: nuncium apporto tibi,
Cuius maxume te fieri participem cupis.
ME· *Numquidnam de gnato meo audisti, Chreme?*
CH· *Valet, atque uiuit.* ME· *quaeso, ubinamst? apud me domi.*
ME· *Meus gnatus?* CH· *sic est.* ME· *uenit?* CH· *certe.* ME· *Clinia*
Meus uenit? CH· *dixi.* ME· *eamus, duc me ad eum, obsecro.*
CH· *Non uolt te scire se rediisse etiam: & tuum*
Conspectum fugitat, ob peccatum: tum hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta sit.
ME· *Non tu ei edixisti, ut essem?* CH· *non.* ME· *quam ob rem, Chreme?*
CH· *Quia pessume istuc in te, atque in illum consulis,*
Si te tam leni, & uicto esse animo ostenderis.
ME· *Non possum: satis iam, satis pater durus fui.*
CH· *ah,*

Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis,
Aut largitate nimia, aut parcimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa, incides.
Primum olim potius, commeare filium
Quam paterere ad mulierculam, quae paullulo
Tum erat contenta, cuiq. erant grata omnia,
Proterruisti hinc. ea coacta ingratijs
Postilla coepit uictum uolgo quaerere.
Nunc, cum sine magno intertrimento non potest
Haberi, quiduis dare cupis. nam, ut tu scias,
Quam ea nunc instructa pulchre ad perniciem siet;
Primum, iam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas ueste, atque auro. satrapes si siet,
Sufferre amator numquam eius sumptus queat,
Nedũ tu possis. ME. est ne ea intus? CH. sit, rogas?
Sensi: nam ei unam cenam, atque eius comitibus
Dedi: quod si iterum mihi sit danda, actum siet:
Nam, ut alia omittam, pitissando, modo mihi
Quid uini absumpsit? sic, hoc, dicens, asperum
Pater est: hoc aliud lenius, sodes, uide.
Releui dolia omnia, omnes serias:
Omnes habui sollicitos: atque haec una nox.
Quid te futurum censes, quem assidue exedent?
Sic me dij amabunt, ut tuarum miseritum est,
Menedeme, fortunarum. ME. faciat, quod lubet:
Sumat, consumat, perdat: decretum est pati:
Dum illum modo habeam mecum. CH. si certum est tibi

Sic

Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Vt nescientem sentiat te id sibi dare.
ME· *Quid faciam?* CH· *quiduis potius, quam quod cogitas:*
Per alium quemuis ut des, falli te sinas
Technis per seruolum: etsi subsensi id quoque,
Illos ibi esse, & id inter se agere clamculum.
Syrus cum illo nostro consusurrat: conferunt
Consilia adolescentes: & ibi perdere
Talentum hoc pacto satius est, quam illo minam.
Non nunc pecunia agitur, sed illud, quo modo
Minimo periclo id demus adolescentulo.
Nam, si semel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam uitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filiũ: hui,
Quantam fenestram ad nequitiem pateseceris.
Tibi autem porro ut non sit suaue uiuere.
NAM DETERIORES *omnes sumus licentia.*
Quodcumque inciderit in mentem, uolet: neque id
Putabit, prauom, an rectum, quod petet, fiet.
Tu, rem perire, & ipsum, non poteris pati.
Dare denegaris: ibit ad illud illico,
Quo maxume apud te se ualere sentiet:
Abiturum se abs te esse illico minabitur.
ME· *Videre uerum, atque ita uti res est, dicere.*
CH· *Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis,*
Dum id quaero, tibi qui filium restituerem.
ME· *Cedo dextram: porro te oro, idem ut facias, Chreme.*

CH. *Paratus sum.* ME. *scin, quid nunc te facere uolo?*

CH. *Dic.* ME. *quod sensisti illos me incipere fallere,*

Affectus paternus.

Id ut maturent facere, cupio illi dare,

Argumentum praedictio Chremetis.

Quod uolt: cupio ipsum iam uidere. CH. *operam dabo.*

Syrus est prehendendus, atque adhortandus mihi.

A me nescio quis exit: concede hinc domum,

Veteres congrueo, uinco, dilico, dicebant pro, congruo, uiuo, dico. Vide ... A. M. ...

Ne nos inter nos congruere sentiant.

Paullum negoti mihi obstat: Simus, & Crito

Vicini nostri hic ambigunt de finibus:

Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, ut dixeram,

Operam daturum me, hodie non posse ijs dare.

Continuo hic adero. ME. *ita quaeso. dij, uostram fidem,*

Itan COMPARATAM *esse hominum naturam omnium,*

Aliena melius ut uideant, & iudicent,

Quã sua? an eo fit, quia in re nostra aut gaudio

Sumus praepediti nimio, aut aegritudine?

Hic mihi nunc quãto plus sapit, quã egomet mihi?

Verba redeuntis Chremetis.

CH. *Dissolui me, otiosus operam ut tibi darem.*

ACTVS . III . SCENA . II

SYRVS . CHREMES

HAC *illac circũcursa: inueniendũ est tamẽ Argentũ, intendẽda in senẽ est fallacia. Num me fefellit, hosce id struere? uidelicet*

Est Cliniae ille seruus tardiusculus:
Iccirco huic nostro tradita est prouincia.
SY· *Quis hic loquitur? perij, numnam haec audijt?*
CH· *Syre.* SY· *hem.*
CH· *Quid tu istic?* SY· *recte equidem. sed te miror, Chreme,*
Tam mane, qui here tantum biberis. CH· *nihil nimis.*
SY· *Nihil, narras? uisa uero est, quod dici solet,*
AQVILAE · SENECTVS · CH· *eia.* SY· *mulier commoda, &* Prouerbiu in senes bibaculos.
Faceta haec est meretrix. CH· *sane idem uisa est mihi.*
SY· *Et quidem hercle forma luculenta.* CH· *sic satis.*
SY· *Ita non ut olim, sed uti nunc, sane bona:*
Minimeq. miror, Clinia hanc si deperit:
Sed habet patrem quendam auidum, mi serum, atque aridum,
Vicinum hunc: nostin? at, quasi is non diuitijs
Abundet, gnatus eius profugit inopia.
Scin esse factum, ut dico? CH· *quid ego nesciam?* Amphibologicos.
Hominem pistrino dignum. SY· *quem?* CH· *istum seruolum* Institutio fallaciae a sene in senem, imo in seipsum.
Dico adolescentis. SY· *Syre, tibi timui male.*
CH· *Qui passus est id fieri.* SY· *quid faceret?* CH· *rogas?*
Aliquid reperiret, fingeret fallacias,
Vnde esset adolescenti, amicae quod daret,
Atque hunc difficilem inuitum seruaret senem.
SY· *Garris.* CH· *haec facta ab illo oportebant, Syre.*

SY. *Eho, quaeso, laudas, qui heros fallunt?* CH. *in loco,*
Ego uero laudo. SY. *recte sane.* CH. *quippini*
Magnarum saepe id remedium aegritudinum est:
Iam huic mansisset unicus gnatus domi:
SY. *Ioco ne, an serio, illaec dicat, nescio,*
Nisi mihi quidē addit animum, quo lubeat magis.
Denuo Syrum instigat. CH. *At nunc quid exspectat, Syre? an, dum hinc denuo*
Abeat, cum tolerare huius sumptus non queat?
Translatio a machinis bellicis. *Non ne ad senem aliquam fabricam fingit?* SY. *stolidus est.*
CH. *At te adiutare oportet adolescentuli*
Caussa. SY. *equidem facile facere possum, si iubes:*
Etenim, quo pacto id fieri soleat, calleo.
Calliditatem Syri laudat. CH. *Tanto hercle melior.* SY. *non est mentiri meum.*
Praenominatio de filij amore. CH. *Face ergo.* SY. *at heus tu, facito, dum eadem haec memineris,*
Si quid huius simile forte aliquando euenerit,
Vt sunt humana, tuus ut faciat filius.
CH. *Non usus ueniet, spero.* SY. *spero hercle ego quoque:*
Tollit obiurgandi occasionem. *Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim:*
Sed si quid, ne quid. quae sit eius aetas, uides:
Et ne ego te, si usus ueniat, magnifice, Chreme,
Tractare possim. CH. *de istoc, cum usus uenerit,*
Videbimus quid opus sit: nunc istuc age.
SY. *Numquam commodius umquam herum audiui loqui,*

Nec,

Nec, cum malefacere crederem mi impunius
Licere · quisnam a nobis egreditur foras?

ACTVS · III · SCENA · III

CHREMES · CLITIPHO · SYRVS

QVID *istuc, quaeso? qui istic mos est, Clitipho? ita ne fieri*
Oportet? CLIT· *Quid ego feci?* CH· *uidin ego te modo manum in sinum huic*
Meretrici inserere? SY· *acta est res, perij·* CLIT· *me ne?* CH· *hisce oculis, ne nega·*
Facis adeo indigne iniuriam illi, qui non abstineas manum·
Nam istaec quidem contumelia est, hominem amicum ad te recipere,
Atque eius amicam subagitare · uel here in uino quam immodestus
Fuisti? SY· *factum ·* CH· *quam molestus? ut equidem,*
Ita me dij ament, metui, quid futurum denique esset· noui ego
Animos amantium: grauiter aduortunt, quae non censeas·
CLIT· *At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum pater·*
CH· *Esto: at certe concedas ab eorum ore aliquantisper aliquo·*
Libido multa fert: ea prohibet facere tua praesentia·

Periculum quod sensim ad Epitasim permanet. Neq. n. subito; sed gradus quosdam ad talem motum accedendum erat.

Nam amantib. omnia sunt suspecta.

Ab exemplo paterno.

Ego de me facio coniecturam. nemo est meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulte, Clitipho, audeam.
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipsius facti pudet:
Ne ineptus, ne proteruos uidear. quod illum facere credito.
Sed nostrum est intellegere, utcumque, atque ubicumque opus sit, obsequi.
SY. Quid istic narrat? CLIT. perij. SY. Clitipho, haec ego praecipio tibi:
Hominis es frugi & temperantis functus officium. CLIT. tace,
Sodes. SY. recte sane. CH. Syre, pudet me. SY. credo: neque id iniuria.

Emphasin habet.

Quin mihi molestum est. CLIT. pergin? SY. hercle uerum, dico quod uidetur.
CLIT. Non accedam ad illos? CH. eho, quaeso, una accedundi uia est?
SY. Actum est: hic se prius indicarit, quam ego argentum effero. Chreme,
Vin tu homini stulto mihi auscultare? CH. quid faciam? SY. iube hunc
Abire hinc aliquo. CLIT. quo ego hinc abeam? SY. quo? quo lubet: da illis locum:

Repetitio pro indignatione.

Abi deambulatum. CLIT. deambulatum, quo? SY. uah, quasi desit locus.
Abi sane istac, istorsum, quo uis. CH. recte dicit: censeo.

CLIT. Dij

CLIT · *Dij te eradicet, Syre, qui me hinc extrudis ·* SY · *at tu pol tibi*
Posthac comprimito istas manus.
Censen uero? quid illum porro credis facturum, Chreme,
Nisi eum, quantum dij dant tibi opis, seruas, casti gas, mones?
CH · *Ego istuc curabo ·* SY · *atqui nunc here hic tibi asseruandus est.*
CH · *Fiet ·* SY · *si sapias: nam mihi iam minus, minusq· obtemperat.*
CH · *Quid tu? ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre? aut*
Reperisti tibi quod placeat, an nondum etiam? SY · *de fallacia*
Dicis? st· inueni quandam nuper · CH · *frugi es: cedo, quid est?*
SY · *Dicam: uerum, ut aliud ex alio incidit ·* CH · *quid nam, Syre?*
SY · *Pessuma haec est meretrix ·* CH · *ita uidetur ·* SY · *immo, si scias.*
Vah uide, quod inceptet facinus · Fuit quaedam anus Corinthia
Hic: huic drachmarum argenti haec mille dederat mutuum.
CH · *Quid tum?* SY · *ea mortua est: reliquit filiam adolescentulam:*
Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento · CH · *intellego.*
SY · *Hanc secum huc adduxit, eaq· est nunc ad uxorem*

rem tuam.

CH. *Quid tum?* SY. *Clinia orat, sibi uti nunc det illam. illi tamen*

poscit. i. spondet, et precium pro ea emenda offert.

Post daturum mille nummum. poscit. CH. *& poscit quidem?* SY. *hui,*

Dubium id est? CH. *ego sic putaui. quid nunc facere cogitas?*

fallaciam aperit.

SY. *Ego ne? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam e Caria,*

Ditem, & nobilem; si redimat, magnum inesse in ea lucrum.

CH. *Erras.* SY. *quid ita?* CH. *pro Menedemo nunc tibi ego respondeo:*

Non emo. quid agis? SY. *optata loquere.* CH. *atqui non est opus.*

SY. *Non opus est?* CH. *non hercle uero.* SY. *qui istuc miror.* CH. *iam scies.*

Parat se ad aliam scenam.

Mane mane, quid est, quod tam a nobis grauiter crepuere fores?

ACTVS · IV · SCENA · I

SOSTRATA · CHREMES · NVTRIX · SYRVS

Haec catastrophe rerum Cliniae est, et occasio epitaseos nouarum Clitiphonis.

SO. *NISI me animus fallit, hic profecto est anulus, quem ego suspicor,*

Is, quicum exposita est gnata. CH. *quid uolt sibi, Syre, haec oratio?*

SO. *Quid est? is ne tibi uidetur?* NV. *dixi equidem, ubi ostendisti, illico,*

Eum esse. SO. *at ut satis contemplata modo sis,*

mea

mea nutrix. NV. satis.

SO. Abi nunc iam intro: atque, illa si iam lauerit, mihi nuncia.

Hic ego uirum interea opperibor. SY. te uolt: uideas quid uelit.

Nescio quid tristis est: non temere est: metuo, quid sit. CH. quid siet?

Ne ista hercle magno iam conatu magnas nugas dixerit.

SO. Ehem, mi uir. CH. ehem, mea uxor. SO. te ipsum quaero. CH. loquere, quid uelis.

SO. Primum te hoc oro, ne quid credas me aduorsum edictum tuum

Insinuatio à Purgatione.

Facere ausam. CH. uin tibi me istuc, etsi incredibile est, credere?

Credo. SY. nescio, quid peccati portet haec purgatio.

SO. Meministin me esse grauidam, & mihi te maxumopere interminatum,

Si puellã parerẽ, nolle tolli? CH. scio, quid feceris:

Sustulisti. SY. si sic factum est, domina, ergo herus damno auctus est.

Tollere, hic est nutrire.

SO. Minime: sed erat hic anus Corinthia haud impura: ei dedi

Exponendam. CH. o Iuppiter, tantam esse in animo inscitiam?

SO. Perij, quid ego feci? CH. rogitas? SO. si peccaui, mi Chreme,

Excusat imprudentia.

Insciens feci. CH. id quidem ego, etsi tu neges, certe scio.

Obiurgatio mordax.

Te in-

Te inſcientem, atque imprudentem dicere, ac facere omnia:
Tot peccata in hac re oſtendis. nam iam primum, ſi meum
Imperium exſequi uoluiſſes, interemptam oportuit,
Non ſimulare mortem uerbis, re ipſa ſpem uitae dare.
At id omitto: miſericordia, animus maternus: ſino.
Quam bene uero abs te proſpectum eſt: quid uoluiſti? cogita:
Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planiſſume,
Per te uel uti quaeſtum faceret, uel uti ueniret palam.
Credo, id cogitaſti: quiduis ſatiuſt, dum uiuat modo.
Quid cum illis agas, qui neque ius, neque bonum, atque aequom ſciunt,
Melius, peius, proſit, obſit, nil uident, niſi quod lubet?
SO. Mi Chreme, peccaui; fateor: uincor: nunc hoc te obſecro,
Quanto tuus eſt animus natu grauior, ignoſcentior,
Vt meae ſtultitiae in iuſtitia tua ſit aliquid praeſidi.
CH. Scilicet equidem iſtuc factum ignoſcam: uerum, Soſtrata,
Male docet te mea facilitas multa. ſed iſtuc quid

quid

i. concedo. s. quod haec te mouerint.

i. venderetur ad stuprum.

facilitas causa delinquendi.

quid eſt,
Qua hoc occeptum eſt cauſſa, loquere. SO. ut ſtulte, & miſere omnes ſumus
Religioſae; cum exponendam do, illi de digito anulum
Detraho; & eum dico, ut una cum puella exponeret;
Si moreretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.
CH. Iſtuc recte: conſeruaſti te, atque illam. SO. hic is eſt anulus.
CH. Vnde habes? SO. quam Bacchis ſecum adduxit adoleſcentulam? SY. hem.
CH. Quid ea narrat? SO. ea lauatum dum it, ſeruandum mihi dedit.
Animum non aduorti primo: at, poſtquam adſpexi, illico
Cognoui: ad te exſilui. CH. quid nūc ſuſpicare, aut inuenis
De illa? SO. neſcio, niſi ut ex ipſa quaeras, unde hunc habuerit,
Si potis eſt reperiri. SY. interij. plus ſpei uideo, quam uolo:
Noſtra eſt, ita ſi eſt. CH. uiuit ne illa, cui tu dederas? SO. neſcio.
CH. Quid renunciauit olim? SO. feciſſe id, quod iuſſeram.
CH. Nomen mulieris cedo quod ſit, ut quaeratur. SO. Philtere.
SY. Ipſa eſt. mirum, ni illa ſalua eſt, & ego perij.

CH. So-

CH. Sostrata,

Sequere me intro. SO. ut praeter spem euenit. quam timui male,

Ne nunc animo ita esses duro, ut olim in tollenda, Chreme.

CH. Non licet hominem esse saepe, ita ut uolt, si res non sinit.

Nunc ita tempus est mi, ut cupiam filiam: olim nil minus.

SY. Nisi fallit me animus, haud multum a me aberit infortunium:

Ita hac re in angustum opido nunc meae coguntur copiae:

Nisi aliquid uideo, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.

Nam quod sperem de argento, aut posse postulem me fallere,

Nihil est: triũpho, si licet me latere tecto abscedere.

Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam subito e faucibus.

Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi.

Nil tam difficile est, quin quaerendo inuestigari possiet.

Quid, si hoc sic incipiam nunc? nihil est. si sic? tantundem egero.

At sic opinor. non potest. immo optume. euge optumam habeo.

Retraham hercle, opinor, ad me illud idem fugitiuum argentum tamen.

ACTVS

CLINIA · SYRVS

NVLLA *mihi res posthac potest iam interuenire tanta,*
Quae mihi aegritudinem afferat: tanta haec laetitia oborta est.
Dedo patri me nunc iam, ut frugalior sim quam uolt.
SY · *Nil me fefellit: cognita est, quantum audio huius uerba.*
Istuc tibi ex sententia tua obtigisse laetor.
CLIN · *O mi Syre, audistin obsecro?* SY · *quid ni? qui usque una affuerim.* i. Assidue.
CLIN · *Cui aeque audisti commode quidquam euenisse?* SY · *nulli.*
CLIN · *Atque, ita me dij ament, ut ego nunc non tam meapte caussa*
Laetor, quam illius: quam ego scio esse honore quouis dignam. Ab honesto, et utili.
SY · *Ita credo: sed nunc Clinia age, da te mihi uicissim:*
Nam amici quoque res est uidenda, in tuto ut collocetur.
Ne quid de amica nunc senex. CLIN · *o Iuppiter.* SY · *quiesce.*
CLIN · *Antiphila mea nubet mihi.* SY · *sicine mihi interloquere?*
CLIN · *Quid faciam, Syre mi? gaudeo: fer me.* SY · *fero hercle uero.*
CLIN · *Deorum uitam apti sumus.* SY · *frustra operã, opinor, sumo.*

CLIN · *Lo-*

CLIN. *Loquere, audio.* SY. *at iã hoc non ages.* CLIN.
agam. SY. *uidendum est, inquam,*
Amici quoque res Clinia tui in tuto ut collocetur:
Nam, si nunc a nobis abis, & Bacchidem hic relinquis:
Senex resciscet illico esse amicã hanc Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidẽ, ut celata adhuc est.
CLIN. *At enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptijs aduorsum:*
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? SY. *quid ni?*
CLIN. *Quid dicam? quam caussam afferam?* SY. *quin nolo mentiare:*
Aperte, ita ut res sese habet, narrato. CLIN. *quid ais?* SY. *iubeo*
Illam te amare, & uelle uxorem hanc esse Clitiphonis.
CH. *Bonam atque iustam rem opido imperas, & factu facilem.*
Et scilicet iam me hoc uoles patrem exorare, ut celet
Senem uostrum. SY. *immo, ut recta uia rem narret ordine omnem.* CH. *hem,*
Satin sanus es, aut sobrius? tu quidem illum plane prodis:
Nam, qui ille poterit esse in tuto, dic mihi?
SY. *Huic equidem consilio palmam do: hic me magnifice effero,*
Qui uim tantam in me, & potestatem habeam tantae astutiae,

Vera

Vera dicēdo ut eos ambos fallā: ut, cū narret senex
Voster nostro, istam esse amicam gnati, non credat tamen.

CL· *At enim spem istoc pacto rursum nuptiarum omnem eripis:*
Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam.
Tu fortasse, quid me fiat, parui curas, dum illi consulas.

SY· *Quid, malum, me aetatem censes uelle id assimularier?*
Vnus est dies: dum argentum eripio, pax, nihil amplius.

CLIN· *Tantum sat habes? quid tum quaeso, si hoc pater resciuerit?*

SY· *Quid, si redeo ad illos, qui aiunt, quid si nunc caelum ruat?*

CLIN· *Metuo, quid agam.* SY· *metuis? quasi non ea potestas sit tua,*
Quo uelis in tēpore ut te exsoluas, rē facias palā.

CLIN· *Age, age, traducatur Bacchis.* SY· *optume. ipsa exit foras.*

ACTVS · IV · SCENA · II

BACCHIS · CLINIA · SYRVS
DROMO · PHRYGIA

SATIS *pol proterue me Syri promissa huc induxerunt,*
Decem minas quas mihi dare pollicitus

est. quod si is nunc me
Deceperit; saepe obsecrans me, ut ueniam, frustra
ueniet:
Aut, cum uenturam dixero, & constituero; cum is
certe
Renunciarit; Clitipho cum in spe pendebit a-
nimi;
Decipiam, ac non ueniam; Syrus mihi tergo poe-
nas pendet.
CLIN. Satis scite promittit tibi. SY. atqui tu hanc io
cari credis?
Faciet, nisi caueo. B. dormiunt: pol ego istos com
mouebo.
Mea Phrygia, audisti, homo iste modo quã uillam
demonstrauit
Charini? P. audiui. B. proxumam esse huic fundo
ad dextram? P. memini.
B. Curriculo percurre: apud eum miles Dionysia a-
gitat.
SY. Quid inceptat? B. dic me hic opido esse inuitam,
atque asseruari:
Verum aliquo pacto uerba me his daturam esse, &
uenturam.
SY. Perij hercle: Bacchis, mane, mane: quo mittis
istanc, quaeso?
Iube maneat. B. abi. SY. quin paratum est argen
tum. B. quin maneo.
SY. Atqui iam dabitur. B. ut lubet, num ego insto?
SY. at scin' quid sodes?
B. Quid? SY. transeundum nunc tibi est ad Menede-
mum,

mum, & tua pompa
Eo traducenda est · B · quam rem agis, scelus? SY · ego ne? argentum cudo,
Quod tibi dem · B · dignam me putas, quam illudas? SY · non est temere.
B · Etiam ne tecum hic res mihi est? SY · minime: tuum tibi reddo ·
B · Eatur · SY · sequere hac · heus Dromo · D · quis me uolt? SY · Syrus · D · quid est rei?
S · Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad uos propere ·
B · Quam ob rem? SY · ne quaeras · & ferant, quae secum huc attulerunt ·
Sperabit sumptũ sibi senex esse harũ abitu leuatũ ·
Ne ille haud scit, hoc paullum lucri quantum ei damni apportet ·
Tu nescis id quod scis, Dromo, si sapies · D · mutum dices ·

ACTVS · IV · SCENA · IV

CHREMES · SYRVS

ITA me dij amabunt, ut nunc Menedemi uicem
Miseret me, tantum deuenisse ad eũ mali.
Illancine mulierem alere cum illa familia?
Etsi scio, hosce aliquot dies non sentiet:
Ita magno desiderio fuit ei filius.
Verum, ubi uidebit tantos sibi sumptus domi
Quotidianos fieri, nec fieri modum:

Metaphoricos[?] ... ioculariter, nõ serio[?] dicit.

Lenitas[?] meretricis facile persuasa.

Obiter Cremes producit ... ut magis appareat quantũ fallatur.

Optabit rurſum, ut abeat ab ſe filius.
Syrum optume, eccum. SY. ceſſo hunc adoriri? CH. Syre. SY. hem.
CH. Quid eſt? SY. te mihi ipſum iãdudũ optabã dari.
CH. Videre egiſſe iam neſcio quid cum ſene.
SY. De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.
CH. Bonan fide? SY. bona hercle. CH. nõ poſſum pati,
Quin tibi caput demulceam. accede huc, Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro iſta re, ac lubens.
SY. At, ſi ſcias, quam ſcite in mentem uenerit.
CH. Vah, gloriare eueniſſe ex ſententia?
SY. Non hercle uero: uerum dico. CH. dic, quid eſt?
SY. Tui Clitiphonis eſſe amicam hanc Bacchidem
Menedemo dixit Clinia, & ea gratia
Secum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceres.
CH. Probe. SY. dic, ſodes. CH. nimium inquam. SY. immo ſi ſcias.
Sed porro auſculta quod ſupereſt fallaciae.
Seſe ipſe dicet tuam uidiſſe filiam:
Sibi complacitam eius formam, poſtquam adſpexerit:
Hanc ſe cupere uxorem. CH. modo quae inuenta eſt? SY. eam:
Et quidem iubebit poſci. CH. quam ob rem iſtuc, Syre?
Nam prorſus nihil intelligo. SY. uah, tardus es.
CH. Fortaſſe. SY. argentum dabitur ei ad nuptias,
Aurum, atque ueſtem, qui, tenes ne? CH. comparet?
SY. Id ipſum. CH. at illi ego nec do, nec deſpondeo.

SY. *Non? quam ob rem?* CH. *quam ob rem, me rogas? homini.* SY. *ut lubet.*
Nõ ego dicebam in perpetuum illam illi ut dares,
Verum ut simulares. CH. *non mea est simulatio:*
Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas.
Egon, cui daturus non sim, ut ei despondeam?
SY. *Credebam.* CH. *minime.* SY. *scite poterat fieri:*
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere iusseras,
Eo coepi. CH. *credo.* SY. *ceterum equidem istuc, Chreme,*
Aequi boniq. facio. CH. *atqui cum maxume*
Volo te dare operam ut fiat, uerum alia uia.
SY. *Fiat: quaeratur aliud. sed illud quod tibi*
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendum est illi: neque tu scilicet
Eo nunc confugies: quid mea? num mihi datũ est?
Num iussi? num illa oppignerare filiam
Meam me inuito potuit? uerum illud, Chreme,
Dicunt: IVS *summum saepe summa malitia est.*
CH. *Haud faciã.* SY. *immo alijs si licet, tibi nõ licet.*
Omnes in lauta te & bene parte aucta putant.
CH. *Quin egomet iam ad eam deferam.* SY. *immo filium*
Iube potius. CH. *quam ob rem?* SY. *quia enim in eum suspicio est*
Translata amoris. CH. *quid tum?* SY. *quia uidebitur*
Magis uerisimile id esse, cum hic illi dabit:
Et simul conficiam facilius ego, quod uolo.
Ipse adeo adest: abi: affer argentum. CH. *eßero.*

CLITIPHO · SYRVS

NVLLA est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam inuitus facias. uel me haec deambultaio,
Quam non laboriosa, ad languorem dedit:
Nec quidquam magis nunc metuo, quam ne denuo
Miser aliquo extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Vt te quidem omnes dij, deae, quantum est, Syre,
Cum tuo isto inuento, cumq. incepto, perduint.
Huiusmodi mihi res semper comminiscere,
Vbi me excarnufices. SY. in hinc quo dignus es?
Quam paene tua me perdidit proteruitas.
CLIT. Vellem hercle factum: ita meritus. SY. meritus? quo modo?
Ne me istuc ex te prius audisse gaudeo,
Quam argentum haberes, quod daturus iam fui.
CLIT. Quid igitur dicam tibi uis? abijsti: mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere.
SY. Iam non sum iratus: sed scin ubi nunc sit tibi
Tua Bacchis? CLIT. apud nos. SY. non. CLIT. ubi ergo? SY. ad Cliniam.
CLIT. Perij. SY. bono animo es: iam argentum ad eam deferes,
Quod ei es pollicitus. CLIT. garris. unde? SY. a tuo patre.
CLIT. Ludis fortasse me. SY. ipsa re experibere.
CLIT. Ne ego fortunatus homo sum. deamo te, Syre.

SY. Sed

SY· *Sed pater egreditur· caue, quidquã admiratus sis,*
Qua caussa id fiat: obsecundato in loco;
Quod impetrabit, facito: loquitor paucula.

ACTVS · IV · SCENA · VI

CHREMES · CLITIPHO · SYRVS

VBI *Clitipho nunc est?* SY· *eccum me, inque.* CLIT· *eccum hic tibi.*
CH· *Quid rei esset, dixti huic?* SY· *dixi pleraque omnia.*
CH· *Cape hoc argẽtum, ac defer·* SY· *i, quid stas lapis?*
Quin accipis? CLIT· *cedo sane·* SY· *sequere hac me ocius:*
Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil est illic, quod moremur diutius.
CH· *Minas quidem iam decem habet a me filia:*
Quas pro alimentis esse nunc duco datas.
Hasce ornamentis consequuntur alterae.
Porro haec talenta dotis apposcent duo.
Quam multa iniusta, ac praua fiunt moribus?
Mihi nunc, relictis rebus, inueniendus est
Aliquis, labore inuenta mea cui dem bona.

Audacia, et arrogantia serui Siculi filio, longe isti imperantis.

Senex conqueritur de damno pro filia accepto.

ACTVS · IV · SCENA · VII

MENEDEMVS · CHREMES

MVLTO *omnium nunc me fortunatissimum*
Factum puto esse, gnate, cum te intellego
Resipisse· CH· *ut errat·* ME· *te ipsum*

quaerebam, Chreme:

Serua, quod in te est, filium, & me, & familiam.

CH. Cedo, quid uis faciam? ME. inuenisti hodie filiam.

CH. Quid tum? ME. hanc uxorem sibi dari uolt Clinia.

Quaeso, obiurgatorium est. CH. Quaeso, quid hominis es? ME. quid est? CH. iam ne oblitus es,

Inter nos quid sit dictum de fallacia,

Vt ea uia abs te argentum auferretur? ME. scio.

CH. Ea res nũc agitur ipsa. ME. quid narras, Chreme?

CH. Immo haec quidem, quae est apud te, Clitiphonis est

Amica. ME. ita aiunt. CH. & tu credis? ME. omnia.

credit se intelligere fallaciam.

CH. Et illum aiunt uelle uxorem, ut, cum desponderis.

Des, qui aurum, ac uestem, atque alia, quae opus sunt, comparet.

ME. Id est profecto: id amicae dabitur. CH. scilicet Daturum. ME. ah, frustra igitur sum gauisus, miser.

Quiduis tamen iam malo, quam hunc amittere.

Quid nunc renunciem abs te responsum, Chreme,

Ne sentiat me sensisse, atque aegre ferat?

arripit patré de nimia indulgẽtia.

CH. Aegre? nimium illi, Menedeme, indulges. ME. sine.

Inceptum est: perfice hoc mihi perpetuom Chreme.

CH. Dic conuenisse, egisse te de nuptijs.

ME. Dicam, quid deinde? CH. me facturum esse omnia,

Gene-

Generum placere: postremo etiam, si uoles,
Desponsam quoque esse dicito · ME · *hem, istuc uolueram ·*
CH · *Tanto ocius te ut poscat, & tu id, quod cupis,*
Quamocissime ut des · ME · *cupio ·* CH · *ne tu propediem,*
Vt istam rem uideo, istius obsaturabere ·
Sed haec utut sunt, cautim, & paullatim dabis,
Si sapies · ME · *faciam ·* CH · *abi intro: uide, quid postulet ·*
Ego domi ero, si quid me uoles · ME · *sane uolo:*
Nam te scientem faciam, quidquid egero ·

ACTVS · V · SCENA · I

MENEDEMVS · CHREMES

E GO *me non tam astutum, neque ita perspicacem esse id scio:*
Sed hic adiutor meus, et monitor, et praemonstrator Chremes
Hoc mihi praestat · in me quiduis harum rerum conuenit,
Quae sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus:
In illum nil potest: nam exsuperat eius stultitia omnia haec ·
CH · *Ohe, iam desine deos, uxor, gratulando obtundere,*
Tuam esse inuentam gnatam; nisi illos tuo ex ingenio iudicas,

Vt

Vt nil credas intellegere, nisi idem dictum est centies.
Sed quid iamdudum interim illic gnatus cessat cũ Syro?
ME. *Quos ais homines, Chreme, cessare?* CH. *hem, Menedeme, aduenis?*
Dic mihi, Cliniae, quae dixi, nunciastin? ME. *omnia.*
CH. *Quid ait?* ME. *gaudere adeo occoepit, quasi qui cupiunt nuptias.*
CH. *Ha, ha, hae.* ME. *quid risisti?* CH. *serui uenere in mentem Syri*
Calliditates. ME. *itane?* CH. *uoltus quoque hominum fingit scelus.*
ME. *Gnatus quod se assimulat laetum, id dicis?* CH. *id.* ME. *idem istuc mihi*
Venit in mentem. CH. *ueterator.* ME. *magis, si magis noris, putes,*
Ita rem esse. CH. *ain tu?* ME. *quin tu ausculta.* CH. *mane: prius hoc scire expeto,*
Quid perdideris: nam ubi desponsam nũciasti filio,
Continuo iniecisse uerba tibi Dromonem scilicet,
Sponsae uestem, aurum, atque ancillas opus esse, argentum ut dares.
ME. *Non.* CH. *quid non?* ME. *non, inquam.* CH. *neque ipse gnatus?* ME. *nil prorsum, Chreme.*
Magis unum etiam instare, ut hodie conficerentur nuptiae.
CH. *Mira narras. quid Syrus meus? ne is quidem quidquam?* ME. *nihil.*

CH. *Quam-*

CH. *Quamobrem?* ME. *nescio equidem: sed te miror, qui alia tam plane scias.*
Sed tuum ille quoque Syrus idem mire finxit filium,
Vt ne paullulum quidem suboleat amicam esse hãc Cliniae.
CH. *Quid ais?* ME. *mitto iam osculari, atque amplexari: id nil puto.*
CH. *Quid est, quod amplius simuletur?* ME. *uah.* CH. *quid est?* ME. *audi modo.*
Est mihi ultimis cõclaue in edibus quoddam retro:
Huc est intro latus lectus, uestimentis stratus est.
CH. *Quid, postquam hoc est factum?* ME. *dictum factum, huc abijt Clitipho.*
CH. *Solus?* ME. *solus.* CH. *timeo.* ME. *Bacchis consecuta est illico.*
CH. *Sola?* ME. *sola.* CH. *perij.* ME. *ubi abiere intro, operuere ostium.* CH. *hem,*
Clinia haec fieri uidebat? ME. *quid ni? una mecum simul.*
CH. *Filij est amica Bacchis, Menedeme: occidi.*
ME. *Quamobrem?* CH. *decem dierum uix mi est familia.*
ME. *Quid? istuc times, quod operam amico ille dat suo?*
CH. *Immo, quod amicae.* ME. *si dat.* CH. *an dubium id tibi est?*
Quemquam ne animo tã comi esse, aut leni putas,
Qui, se uidente, amicam patiatur suam?
ME. *Quidni? quo uerba facilius dentur mihi.*

CH. *Derides?*

CH. *Derides? merito mihi nunc ego suscenseo.*
Quot res dedere, ubi possem persentiscere,
Ni essem lapis? quae uidi? uae misero mihi.
At ne illud haud inultum, si uiuo, ferrent:
Nam iam. ME. *non tu te cohibes? non te respicis?*
Non tibi ego exempli satis sum? CH. *praeiracundia,*
Menedeme, non sum apud me. ME. *te ne istuc loqui?*
Non ne id flagitium est, te alijs consilium dare,
Foris sapere, tibi non posse auxiliarier?
CH. *Quid faciam?* ME. *id, quod me fecisse aiebas parum:*
Fac, te esse patrem sentiat: fac, ut audeat
Tibi credere omnia, abs te petere, & poscere,
Ne quam aliam quaerat copiam, ac te deserat.
CH. *Immo abeat potius multo quouis gentium,*
Quam hic per flagitium ad inopiam redigat patrem:
Nam si illi pergo suppeditare sumptibus,
Menedeme, mihi illaec uero ad rastros res redit.
ME. *Quot incommoda tibi in hac re capies, nisi caues?*
Difficilem ostendes te esse, & ignosces tamen
Post, & id ingratum. CH. *ah, nescis, quam doleam.* ME. *ut lubet.*
Quid hoc, quod rogo, ut illa nubat nostro? nisi quid est,
Quod malis. CH. *immo & gener, & affines placent.*

ME. *Quid*

ME· *Quid dotis dicam te dixisse filio?*
Quid obticuisti? CH· *dotis?* ME· *ita dico.* CH· *ah.*
ME· *Chreme,*
Ne quid uereare, si est minus: nil dos nos mouet.
CH· *Duo talenta pro re nostra ego esse decreui satis:*
Sed ita dicto opust, si me uis saluom esse, & rem, & filium,
Me mea omnia bona doti dixisse illi. ME· *quam rem agis?*
CH· *Id mirari te simulato, & illum rogitato simul,*
Quamobrem id faciam. ME· *quin ego uero, quamobrem id facias, nescio.*
CH· *Ego ne? ut illius animum, qui nunc luxuria, & lasciuia*
Diffluit, retundam, redigam, ut, quo se u ortat, ne sciat.
ME· *Quid agis?* CH· *mitte: sine me in hac re gerere mihi morem.* ME· *sino:*
Ita ne uis? CH· *ita.* ME· *fiat.* CH· *ac iam, ut uxorem accersat, paret.*
ME· *Hic ita, ut liberos est aequom, dictis confutabitur.*
Sed Syrum. ME· *quid eum?* CH· *ego ne? si uiuo, adeo exornatum dabo,*
Adeo depexum, ut, dum uiuat, meminerit semper mei:
Qui sibi me pro ridiculo, ac delectamento, putat.
Non (ita me dij ament) auderet facere haec uiduae mulieri,
Quae in me fecit.

ACTVS

CLITIPHO · MENEDEMVS · CHREMES
SYRVS

ITA ne tandem quaeso est, Menedeme, ut pater
Tam in breui spatio omnem de me eiecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum sceleris admisi, miser?
Volgo id faciunt. ME. scio tibi esse hoc grauius multo, ac durius,
Cui fit. uerum ego haud minus aegre patior id, qui nescio.
Nec rationem capio, nisi quod tibi bene ex animo uolo. CLIT. hic
Patrem adstare aiebas? ME. eccum. CH. quid me incusas, Clitipho?
Quidquid ego huius feci, tibi prospexi, & stultitiae tuae.
Vbi te uidi animo esse omisso, &, suauia in praesentia
Quae essent, prima habere, neque consulere in longitudinem:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut haec posses perdere.
Vbi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare,
Abij ad proxumos, tibi qui erant, eis commisi, & credidi.
Ibi tuae stultitiae semper erit praesidiũ Clitipho,

Victus, uestitus, quo in tectum te receptes· CLIT· *hei mihi*.

CH· *Satius est, quam te ipso herede haec possidere Bacchidem*.

SY· *Disperij: scelestus, quantas turbas conciui, insciens?*

CLIT· *Emori cupio*· CH· *prius quaeso disce, quid sit uiuere*.

Vbi scies, si displicebit uita, tum istoc utitor.

SY· *Here, licet ne*· CH· *loquere*· SY· *at tuto*· CH· *loquere*· SY· *quae ista est prauitas*,

Quae ue est amentia, quod peccaui ego, id obesse huic? CH· *ilicet*,

Ne te admisce: nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi,

Neque precatorem pararis· SY· *quid agis?* CH· *nil suscenseo*,

Nec tibi, nec tibi, nec uos est aequum, quod facio, mihi.

SY· *Abijt· uah, rogasse uellem*· CLIT· *quid?* SY· *unde mihi peterem cibum*.

Ita nos alienauit· tibi iam esse ad sororem intellego.

CLIT· *Adeon rem redijsse, ut periculum etiam fame mihi sit, Syre?*

SY· *Modo liceat uiuere, spes est*· CLIT· *quae?* SY· *nos esurituros satis*.

CLIT· *Irrides in re tanta, neque me quidquam consilio adiuuas?*

SY· *Immo & ibi nunc sum, & usque dudum id egi,*

dum

dum loquitur pater:
Et, quantum ego intellegere possum, CLIT. quid? SY. non aberit longius.
CLIT. Quid id ergo? SY. sic est, non esse horum te arbitror. CLIT. quid istuc, Syre?
Satin sanus es? SY. ego dicam, quod mi in mentem: tu dijudica.
Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio,
Quae propior esset, te indulgebant, tibi dabant: nunc, filia
Postquam est inuenta uera, inuenta est caussa, qua te expellerent.
CLIT. Est uerisimile. SY. an tu ob peccatum hoc esse illum iratum putas?
CH. Non arbitror. SY. nunc aliud specta: MATRES omnes filijs
In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent esse: id non fit? CLIT. uerum. quid ergo nunc faciam, Syre?
SY. Suspicionem quaere ex illis istam: rem profer palam.
Si non est uerum, ad misericordiam ambos adduces cito, aut,
Scibis cuius sis, CLIT. recte suades: faciam. SY. sat recte hoc mihi in
Mentem uenit: namque adolescens, quam maxume spe situs erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.
Etiam haud scio, an ne uxorem ducat, ac Syro nil gratiae,

Quid

Quid autem hoc? senex exit foras: ego fugio. adhuc quod factum est,
Miror non iussisse illico me arripi. ad Menedemũ hinc pergam. eum
Precatorem mihi paro: seni nostro fidei nihil habeo.

ACTVS · V · SCENA · III

SOSTRATA · CHREMES

PROFECTO, *nisi caues tu homo, aliquid gnato conficies mali:*
Idq. adeo miror, qui tam ineptum quidquam potuerit tibi
Venire in mentem, mi uir. CH. *oh, pergin mulier esse? ullam ne ego*
Rem umquam uolui, quin tu in ea mihi aduersatrix fueris, Sostrata? at,
Si rogitem iam, quid est quod peccem, aut quam ob rem id faciam, nescias.
In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? SO. *ego nescio?*
CH. *Immo scis potius, quam quidem redeat ad integrum eadem oratio.*
SO. *Oh, iniquos es, qui me tacere de re tanta postules.*
CH. *Non postulo: iam loquere. nihilo minus ego hoc faciam tamen.*
SO. *Facies?* CH. *uerum.* SO. *non uides, quantum mali ex ea re excites?*
Subditum se suspicatur. CH. *ain tu? subditum?* SO.

certe sic erit,

Mi uir. CH. confitere.

S. Au, obsecro te, istuc nostris inimicis siet.

Egon confitear meum non esse filium, qui sit meus?

CH. Quid metuis? ne non, cum uelis, conuincas esse illum tuum?

S. Quod filia est inuenta? CH. non, sed, quod magis credendum siet,

Id quod est consimilis moribus,

Facile conuinces ex te natum: nam tui similis est probe:

Nam illi nihil uitij est relictum, quin id itidem sit tibi:

Tum praeterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.

Sed ipse egreditur, quam seuerus. rem cum uideas, censeas.

ACTVS . V . SCENA . IV

CLITIPHO . SOSTRATA . CHREMES

SI umquam ullum fuit tempus, mater, cum ego uoluptati tibi

Fuerim, dictus filius tuus tua uoluntate, obsecro

Eius ut memineris, atque inopis nunc te miserescat mei;

Quod peto, & uolo, parentes meos ut commonstres mihi.

S. Obsecro mi gnate, ne istuc in animum inducas tuum,

Alienum esse te. CLIT. *sum.* S. *miseram me, hocine quaesisti obsecro?*
Ita mihi, atque huic sis superstes, ut ex me, atque hoc natus es:
Et caue posthac, si me amas, umquam istuc uerbum ex te audiam. CH. *at*
Ego, si metuis, mores caue in te esses istos sentiam.
CLIT. *Quos?* CH. *si scire uis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,*
Ganeo, damnosus. crede, & nostrum te esse credito.
CLIT. *Non sunt haec iam dicta parentis.* CH. *non, si ex capite sis meo*
Natus, item ut aiunt Mineruam esse ex Ioue, ea caussa magis
Patiar Clitipho flagitijs tuis me infamen fieri.
SO. *Di istaec.* CH. *nescio deos: ego, quod potero, enitar sedulo.*
Quaeris id, quod habes, parentes: quod abest, non quaeris, patri
Quo modo obsequare, & serues quod labore inuenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere hac praesente uerbum turpe: at te id nullo modo
Facere puduit. CLIT. *eheu, quam ego nunc totus displiceo mihi,*
Quam pudet: neque, quod principium incipiam ad placandum, scio.

MENEDEMVS · CHREMES · CLITIPHO SOSTRATA

E NIMVERO *Chremes nimis grauiter cruciat adoleſcentulum,*
Nimisq· inhumane· exeo ergo, ut pacem conciliem · optume·
Ipſos uideo· CH· *ehem, Menedeme, cur non accerſi iubes*
Filiam, &, quod dotis dixi, firmas? SO: *mi uir, te obſecro,*
Ne facias· CLIT· *pater obſecro ut mi ignoſcas·* ME· *da ueniam, Chreme:*
Sine te exoret· CH· *egon mea bona ut dem Bacchidi dono ſciens?*
Non faciam· ME· *at id nos non ſinemus·* CLIT· *ſi me uiuom uis, pater,*
Ignoſce· SO· *age, Chreme mi·* ME· *age quaeſo, ne tam obfirma te, Chreme·*
CH· *Quid iſtuc? uideo non licere, ut coeperam, hoc pertendere·*
ME· *Facis, ut te decet·* CH· *ea lege hoc adeo faciam, ſi facit,*
Quod ego hũc aequom cenſeo· CLIT· *pater, omnia faciam: impera·*
CH· *Vxorem ut ducas·* CLIT· *pater·* CH· *nihil audio·* ME· *ad me recipio·*
Faciet· CH· *nil etiam audio ipſum·* CLIT· *perij·* SO· *an dubitas, Clitipho?*
CH· *Immo utrum uult?* ME· *faciet omnia·* SO· *haec,*

dum incipias, grauia sunt,
Dumq· ignores; ubi cognoris, facilia· CLIT· faciam, pater·
SO· Gnate mi, ego pol dabo puellam lepidam, quam tu facile ames,
Filiam Phanocratae nostri· CLIT· rufam ne illam uirginem,
Caesiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater·
CH· Eia, ut elegans est, credas animum ibi esse? SO· aliam dabo·
CLIT· Quid istuc? quandoquidem ducenda est, egomet habeo propemodum,
Quam uolo· SO· nunc laudo te, gnate· CLIT· Archonidi huius filiam·
SO· Perplacet· CLIT· pater, hoc nunc restat· CH· quid? CLIT· Syro ignoscas uolo,
Quae mea caussa fecit· CH· fiat· Vos ualete, & plaudite·

ADELPHOE
TERENTII

ACTA · LVDIS · FVNEBRIBVS

L · AEMILII · PAVLLI

Q · FABIO · MAXIMO · P · CORNELIO · AFRICANO · AED · CVR ·

EGERE

L · ATILIVS · PRAENESTINVS

MINVCIVS · PROTHVMVS

MODOS . FECIT

FLACCVS · CLAVDI

TIBIIS · SARRANIS

FACTA · E · GRAECA · MENANDRV

L · ANICIO · M · CORNELIO · COS ·

C. SVLPICII. APOLLINARIS
PERIOCHA

DVOS cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Micioni fratri adoptandum Aeschinum,
Sed Ctesiphonem retinent. hunc citharistriae
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Aeschinus; famam quoque
Amoris in se transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripuit. uitiauerat
Idem Aeschinus ciuem Atticam pauperculam;
Fidemq. dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea iurgare, & grauiter ferre: mox tamen,
Vt ueritas patefacta est, ducit Aeschinus
Vitiatam, potitur Ctesipho citharistriam,
Exorato suo patre duro Demea.

ADELPHORVM PERSONAE. EARVMQVE INTERPRETATIO

MITIO, senex, ἀπὸ τῆς μήτιδος, a mente & consilio, uel ἀπὸ τοῦ μικκοῦ, unde & Μικύλος, quod in eo omnia sint mitia, depressa & placida.

DEMEA, senex, ἀπὸ τοῦ δήμου, antiquis homo moribus, & popularis status amans.

HEGIO, senex, ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσθαι, a ductu seu principatu.

AESCHINVS, adolescens, ἀπὸ τοῦ αἴσχους, a pudore. Vide, num scribi debeat, Aeschines, quomodo Graecis αἰσχίνης.

CTESIPHO, adolescens, τὸ τῆς κτήσεως φῶς, patrimonii splendor.

SOSTRATA, matrona.

PAMPHILA, puerpera.

CANTHARA, nutrix, a cantharo nomen aptum nutrici, quae fere bibulae sunt.

SYRVS, seruus, gentile nomen.

GETA, seruus, etiam gẽtile, a Getis, qui postea Gothi dicti.

DROMO, seruus.

SANNIO, leno, a sannii, uel potius ἀπὸ τοῦ σαννίου, ab hasta, qua ualere a iocantibus dicebatur.

Sequentium tantum hic mentio fit.

BABYLO, uel forte Babyla, βαβύλας, futilis. uidetur trapezitae nomen fuisse.

STORAX, uel Styrax, seruus olidus, per antiphrasin, cum styracis odor sit longe optimus.

P OSTQVAM poeta sensit scripturam suã
Ab iniquis obseruari, & aduersarios
Rapere in peiorẽ partẽ, quã acturi sumus:
Indicio de se ipse erit: uos eritis indices,
Laudi ne an uitio duci id factum oporteat.
Synapothnescontes Diphili comedia est.
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In graeca adolescens est, qui lenoni eripit
Meretricem, in prima fabula. eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, uerbum de uerbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus nouam: pernoscite,
Furtum ne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui praeteritus neglegentia est.
Nam, quod isti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, assidueq. una scribere,
Quod illi maledictum uehemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, cũ illis placet,
Qui uobis uniuersis, & populo placent;
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usust sine superbia.
Dehinc, ne exspectetis argumentum fabulae:
Senes qui primi uenient, hi partem aperient,
In agendo partem ostendent. facite, aequanimitas
Poetae ad scribendum augeat industriam.

ACTVS

MICIO

STORAX, non rediјt hac nocte a cena Aeschinus,
Neque seruulorum quisquam, qui aduorsum ierant.
Profecto hoc uere dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses, euenire ea satiust,
Quae in te uxor dicit, & quae in animo cogitat
Irata, quam illa, quae parentes propitij.
Vxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, atque animo obsequi,
Et tibi bene esse soli, cum sibi sit male.
Ego, quia non rediјt filius, quae cogito?
Quibus nunc sollicitor rebus? ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid. uah, quemquam ne hominem in animo instituere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?
Atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre. is adeo
Dissimili studio est. iam inde ab adolescentia
Ego hanc clementem uitam urbanã, atque otium
Secutus sum: &, quod fortunatum isti putant,
Vxorem numquam habui. ille contra, haec omnia,
Ruri agere uitam, semper parce, ac duriter
Se habere; uxorem duxit: nati filij
Duo. inde ego hunc maiorem adoptaui mihi:
Eduxi a paruulo, habui, amaui pro meo:
In eo me oblecto, solum id est carum mihi.

Ille ut item contra me habeat, facio ſedulo:
Do, praetermitto, non neceſſe habeo omnia
Pro meo iure agere: poſtremo, alij clamculum
Patres quae faciunt, quae fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium:
Nam qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit ceteros.
Pudore, & liberalitate liberos
Retinere, ſatius eſſe credo, quam metu.
Haec fratri mecum non conueniunt, neque placẽt.
Venit ſaepe ad me clamans, quid agis Micio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumptum ſuggeris?
Veſtitu nimium indulgis: nimium ineptus es.
Nimium ipſe durus eſt, praeter aequomque, & bonum.
Et errat longe mea quidem ſententia,
Qui imperium credat grauius eſſe, aut ſtabilius,
Vi quod fit, quã illud, quod amicitia adiungitur.
Mea eſt ſic ratio, & ſic animum induco meum.
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet:
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Quem beneficio adiungas, ille ex animo facit,
Studet par referre, praeſens, abſensq. idem erit.
Hoc patrium eſt, potius conſueſacere filium,
Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus intereſt. hoc qui nequit,
Fateatur neſcire imperare liberis.
Sed eſt ne hic ipſus, de quo agebam? & certe is eſt.

Neſcio

Nescio quid tristem uideo. credo iam, ut solet,
Iurgabit. saluom te aduenire, Demea,
Gaudemus.

ACTVS. I. SCENA. II

DEMEA. MICIO

HEM, opportune: te ipsum quaerito.
Quid tristis es? DE. rogas me, ubi nobis Aeschinus
Siet; quid tristis ego sim? MI. dixin hoc fore?
Quid fecit? DE. quid ille fecerit? quem neque pudet
Quidquam; neque metuit quemquam; neque legem putat
Tenere se ullam. nā illa, quae antehac facta sunt,
Omitto: modo quid designauit? MI. quidnam id est?
DE. Fores effregit, atque in edes irruit
Alienas: ipsum dominum, atque omnem familiā
Mulcauit usque ad mortem: eripuit mulierem,
Quam amabat: clamant omnes, indignissume
Factum esse. hoc aduenienti quot mihi Micio
Dixere? in ore est omni populo. denique,
Si conferendum exemplum est, non fratrem uidet
Rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
Nullum huius simile factum? haec cum illi Micio
Dico, tibi dico. tu illum corrumpi sinis.
MI. HOMINE imperito numquam quidquam iniustius,

Qui,

Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.
DE · Quorsum istuc · MI · quia tu, Demea, haec male iu dicas.
Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare, non est, neque fores
Effringere · haec si neque ego, neque tu fecimus,
Non siuit egestas facere nos · tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia.
Iniurium est : nam, si esset, unde id fieret,
Faceremus: & tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,
Potius quam, ubi te exspectatum eiecisset foras,
Alieniore aetate post faceret tamen.
DE · Pro Iuppiter, rediges tu homo me ad insaniam.
Non est flagitium facere haec adolescentulum?
MI · ah,
Ausculta, ne me obtundas de hac re saepius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi:
Is meus est factus: si quid peccat, Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obsonat, potat, olet unguenta de meo.
Amat? dabitur a me argentũ, ubi erit commodũ;
Vbi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur · discidit
Vestem? resarcietur · est, dijs gratia,
Et unde haec fiant, & adhuc non molesta sunt.
Postremo, aut desine, aut cedo quemuis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam · DE · hei mihi ·
Pater esse, disce ab alijs, qui uere sciunt.
MI · Natura tu illi pater es, consilijs ego.

DE · Tun

DE. Tun consulis quidquam? MI. ah, si pergis, abiero.
DE. Sicine agis? MI. an ego toties de eadem re audiam?
DE. Curae est mihi. MI. & mihi curae est: uerum, Demea,
Curemus aequam uterque partem, tu alterum,
Ego item alterum: nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. DE. ah, Micio.
MI. Mihi sic uidetur. DE. quid istuc? tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Iam si uerbum unum posthac. MI. rursum, Demea,
Irascere? DE. an non credis? repeton quem dedi?
Aegre est. alienus non sum. si obsto: hem desino.
Vnum uis curem: curo: & est dijs gratia,
Cum ita, ut uolo, est: iste tuus ipse sentiet
Posterius: nolo in illum grauius dicere.
MI. Nec nihil, neque omnia haec sunt, quae dicit: tamen
Non nihil molesta haec sunt mihi: sed ostendere
Me aegre pati, illi nolui: nam ita est homo:
Cum placo, aduorsor sedulo, & deterreo,
Tamen humane uix patitur: uerum si augeam,
Aut etiam adiutor sim eius iracundiae,
Insaniam profecto cum illo. etsi Aeschinus
Nonnullam in hac re nobis facit iniuriam.
Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit

Aliquid? postremo nuper (credo iam omnium
Taedebat) dixit uelle uxorem ducere.
Sperabam iam deferuisse adolescentiam:
Gaudebam. ecce autem deintegro. nisi, quid-
quid est,
Volo scire, atque hominem conuenire, si apud fo
rum est.

ACTVS · II · SCENA · I

SANNIO · AESCHINVS

OBSECRO, populares ferte misero, atque
innocenti auxilium:
Subuenite inopi. AE. otiose, nunc iam il
lico hic consiste:
Quid respectas? nihil pericli est: numquam, dum
ego adero, hic te
Tanget. SA. ego istam, inuitis omnibus.
AE. Quamquam est scelestus, non committet hodie um
quam iterum ut uapulet.
SA. Aeschine, audi, ne te dicas fuisse ignarum meo
rum morum,
Ego leno sum. AE. scio. SA. at ita, ut usquam fuit
fide quisquam optuma.
Tu quod te posterius purges, nolle hanc iniuriam
mihi
Factam esse; huius non faciam. crede hoc, ego
meum ius persequar:
Neque tu uerbis solues umquam, quod re mihi ma
le feceris.

Noui

Noui ergo uestra haec : nollem factum : dabitur iusiurandum, esse te
Indignum iniuria hac, indignis cum egomet sim acceptus modis.

AE. Abi prae, strenue, ac fores aperi. SA. ceterũ hoc nihil facis.

AE. Intro nunc iam. SA. at enim non sinam. AE. accede illuc, Parmeno,
Nimium abijsti istoc, hic propter hunc assiste. hem, sic uolo,
Caue nunc iam oculos a meis oculis quoquam dimoueas tuos,
Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat.

SA. Istuc uolo ergo ipsum experiri. AE. hem, serua. omitte mulierem.

SA. O facinus indignum. AE. geminabit, nisi caues. SA. hei misero mihi.

AE. Non innueram: uerum in istam partem potius peccato tamen:
I nunc iam. SA. quid hoc rei est? regnum ne, Aeschine, hic tu possides?

AE. Si possiderem, ornatus esses ex tuis uirtutibus.

SA. Quid tibi rei mecum est? AE. nihil. SA. quid? nostin, qui sim? AE. non desidero.

SA. Tetigin tui quidquam? AE. si attigisses, ferres infortunium.

SA. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Responde. AE. ante edes non fecisse erit melius hic

con-

conuicium:

Nam si molestus pergis esse, iam intro arripiere, atque ibi

Vsque ad necem opperiere loris. SA. loris liber? AE. sic erit.

SA. O hominem impurum. hicine libertatem aiunt aequam esse omnibus?

AE. Si satis iã debacchatus es leno, audi si uis nũc iã.

SA. Egon debacchatus sum in te, an tu in me? AE. mitte ista, atque ad rem redi.

SA. Quam rem? quo redeam? AE. iam ne me uis dicere id, quod ad te attinet?

SA. Cupio, modo aequi aliquid. AE. uah, leno iniqua me non uolt loqui.

SA. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,

Periurus, pestis: tamen tibi a me nulla est orta iniuria.

AE. Nam hercle etiam id restat. SA. illuc quaeso redi, quo coepisti, Aeschine.

AE. Minis uiginti tu illam emisti, quae res tibi uortat male:

Argenti tantum tibi dabitur. SA. quid, si ego illam nolo uendere?

Coges me? AE. minime. SA. namque id metui. AE. neque uendundam censeo,

Quae libera est: nam ego illam liberali assero caussa manu.

Nunc uide utrum uis, argentum accipere, an caussam meditari tuam.

Delibera hoc, dum ego redeo, leno. SA. pro supreme Iuppiter:
Minime miror, qui insanire occipiunt ex iniuria.
Domo me eripuit, uerberauit: me inuito abduxit meam:
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Ob malefacta haec tantidem emptam postulat sibi tradier.
Verum enim, quando bene promeruit, fiat: suum ius postulat.
Age iam cupio, modo si argentum reddat. sed ego hoc hariolor.
Vbi me dixero dare tanti, testes faciet illico,
Vendidisse me: de argento somnium: mox, cras redi.
Id quoque possum ferre, si modo reddat: quamquam iniurium est.
Verum cogito id, quod res est. quando eum quaestum occoeperis,
Accipiunda, & mussitanda iniuria adolescentium est.
Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes deputo.

ACTVS. II. SCENA. II

SYRVS. SANNIO

TACE, egomet conueniam iam ipsum: cupide

cupide accipiat faxo, atque etiam
Benedicat secum esse actum. quid istuc, Sannio, est, quod te audio
Cum hero nescio quid concertasse? SA. numquam uidi iniquus
Certationem comparatam, quam quae hodie inter nos fuit.
Ego uapulando, ille uerberando, usque ambo defessi sumus.
SY. Tua culpa. SA. quid facerem? SY. adolescenti morem gestum oportuit.
SA. Qui potui melius? quin hodie usque os praebui. SY. age, scis quid loquar?
Pecuniam in loco neglegere, maxumum interdum est lucrum. SA. hui.
SY. Metuisti, si nunc de tuo iure concessisses paullulum,
Atque adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,
Ne non tibi istuc feneraret? SA. ego spem pretio non emo.
SY. Numquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio.
SA. Credo istuc melius esse: uerum ego numquã adeo astutus fui,
Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in praesentia.
SY. Age, noui tuum animum: quasi quidquam tibi sint uiginti minae,
Dum huic obsequare: praeterea autẽ te aiunt pro-

ficisci Cyprum. SA. hem.
SY. Coemisse hinc, quae illuc ueheres, multa; nauem conductam: hoc scio,
Animus tibi pendet: ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages.
SA. Nusquam pedem. perij hercle: hac illi spe hoc inceperunt. SY. timet:
Inieci scrupulum homini. SA. o scelera. illud uide,
Vt in ipso articulo oppressit. emptae mulieres
Complures, & item hinc alia, quae porto Cyprum.
Nisi eo ad mercatum uenio, damnũ maxumũ est.
Nunc si omitto, ubi illinc rediero, actum agam.
Nihil est, refrixerit res. nunc demum uenis?
Cur passus? ubi eras? ut sit satius perdere,
Quam aut nunc manere tam diu, aut tũ persequi.
SY. Iam ne enumerasti, quoad te rediturum putes?
SA. Hocine illo dignũ est? hocine incipere Aeschinũ?
Per oppressionem ut hanc mi eripere postulet?
SY. Labascit. unum hoc habeo; uide si satis placet:
Potius, quam uenias in periclum, Sannio,
Serues ne, an perdas totum, diuiduum face.
Minas decem corradet alicunde. SA. hei mihi,
Etiam de sorte nunc uenio in dubium, miser.
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi:
Praeterea colaphis tuber est totum caput.
Etiam insuper defrudet? nusquam abeo. SY. ut lubet.
Numquid uis, quin abeam? SA. immo hercle hoc quaeso, Syre,
Vt ut haec sunt acta, potius, quam lites sequar,
Meum

Meũ mihi reddatur, ſaltem quãti empta eſt. Syre,
Scio te non uſum antehac amicitia mea.
Memorem me dices eſſe, & gratum. SY. ſedulo
Faciam. ſed Cteſiphonem uideo. laetus eſt
De amica. SA. quid, quod te oro? SY. paulliſper
mane.

ACTVS · II · SCENA · III

CTESIPHO · SYRVS

ABS quiuis homine, cum eſt opus, benefi-
cium accipere gaudeas:
Verum enimuero id demum iuuat, ſi, quẽ
aequom eſt benefacere, is facit.
O frater frater, quid ego nunc te laudem? ſatis cer
to ſcio:
Numquam ita magnifice quidquam dicam, id uir-
tus quin ſuperet tua.
Itaque unam hãc rem me habere praeter alios prae
cipuam arbitror,
Fratrem homini nemini eſſe primarum artium ma
gis principem.
SY. O Cteſipho. C. o Syre, Aeſchinus ubi eſt? SY. el
lum, te exſpectat domi. C. hem.
SY. Quid eſt? C. quid ſit? illius opera, Syre, nunc ui
uo: feſtiuum caput:
Omnia ſibi qui poſt putarit eſſe prae meo com-
modo:
Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum
in ſe tranſtulit;

Nil pote supra. sed quisnam? foris crepuit. SY. mane, ipse exit foras.

ACTVS. II. SCENA. IV.

AESCHINVS. SANNIO
CTESIPHO. SYRVS

VBI ille est sacrilegus? SA. me quaerit. num quidnam effert? occidi:
Nil uideo. AE. ehem, opportune, te ipsum quaero: quid fit, Ctesipho?
In tuto est omnis res: omitte uero tristitiam tuam.
CT. Ego illam facile uero omitto, qui quidem te habeam fratrem.
O mi germane, ah uereor coram in os te laudare amplius,
Ne id assentandi magis, quam quod habeam gratum, facere existumes.
AE. Age, inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos, Ctesipho.
Hoc mihi dolet, nos paene sero scisse, & paene in eum locum
Rediisse, ut, si omnes cuperent, nihil tibi possent auxiliarier.
CT. Pudebat. AE. ah, stultitia est istaec, non pudor, tam ob paruolam
Rem paene ex patria. turpe dictu. deos quaeso ut istaec prohibeant.
CT. Peccaui. AE. quid ait tandem nobis Sannio? SY. iam mitis est.

AE. Ego

AE· *Ego ad forum ibo, ut hunc absoluam:tu intro ad illam, Ctesipho·*

SA· *Syre, insta·* S· *eamus: namque hic properat in Cyprum·* SA· *ne tam quidem,*

Quamuis etiam maneo otiosus hic· SY· *reddetur, ne time·*

SA· *At, ut omne reddat·* SY *omne reddet, tace modo, ac sequere hac·* SA· *sequor·*

CT· *Heus heus, Syre·* SY *hem quid est?* CT· *obsecro hercle hominem istum impurissimum*

Quã primũ absoluitote, ne, si magis iritatus fiet,

Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tunc perpetuo perierim·

SY· *Non fiet: bono animo es· tu cum illa te intus oblecta interim,*

Et lectulos iube sterni nobis, & parari cetera·

Ego iam transacta re conuortam me domum cum obsonio·

CT· *Ita quaeso: quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem·*

ACTVS · III · SCEEA · I

SOSTRATA · CANTHARA

O BSECRO, *mea tu nutrix, quid nunc fiet?* CA· *quid fiet, rogas?*

Recte edepol spero· SO· *modo dolores mea tu occipiunt primulum·*

CA· *Iam nunc times, quasi numquam affueris, numquam tute pepereris·*

SO. *Miseram me, neminem habeo, solae sumus : Geta autem hic non adest;*
Nec quem ad obstetricem mittam, nec qui accersat Aeschinum.

C. *Pol is quidem iam hic aderit : nam numquam unũ intermittit diem,*
Quin semper ueniat. SO. *solus mearum miseriarum est remedium.*

C. *E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est, hera :*
Oblatum quando uitium est, quod ad illum attinet potissimum,
Talem, tali genere, atque animo, natum ex tanta familia.

SO. *Ita pol est, ut dicis : saluus nobis, deos quaeso, ut siet.*

ACTVS . III . SCENA . II

GETA . SOSTRATA . CANTHARA

NVNC *illud est, quod, si omnes omnia sua consilia conferant,*
Atque huic malo salutem quaerant, auxilij nihil afferant,
Quod mihique, heraeque, filiaeq. herili est. uae misero mihi,
Tot res repente circumuallant, unde emergi non potest,
Vis, egestas, iniustitia, sollicitudo, infamia.
Hocine saeclum? o scelera, o genera sacrilega,

hominem impium.

SO. *Me miseram, quidnam est, quod sic uideo timidum, & properantem Getam?*

GE. *Quem neque fides, neque iusiurandum, neque illum misericordia*
Repressit, neque reflexit, neque quod partus instabat prope,
Cui miserae indigne per uim uitium obtulerat. SO. *non intellego*
Satis, quae loquatur. CA. *propius obsecro accedamus, Sostrata.* G. *ah,*
Me miserum, uix sum compos animi: ita ardeo iracundia.
Nihil est, quod malim, quam illam totam familiam mihi obuiam
Dari, ut iram hanc in eos euomam omnem, dum aegritudo haec est recens.
Satis mihi id habeam supplicij, dum illos ulciscar modo.
Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus:
Tum autem Syrum impulsorem, uah, quibus illum lacerarem modis.
Sublimem medium arriperem, & capite primum in terram statuerem,
Vt cerebro dispergat uiam:
Adolescenti ipsi oculos eriperem, post haec praecipitem darem:
Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem.

Sed

Sed cesso hoc malo heram impertiri propere? SO. *reuocemus. Geta.* G. *hem,*
Quisquis es, sine me. SO. *ego sum Sostrata.* GE. *ubi ea est? te ipsam quaerito:*
Te exspecto: opido opportune te obtulisti mi obuiam,
Hera. SY. *quid est? quid trepidas.* GE. *hei mihi.* SO. *quid festinas, mi Geta?*
Animum recipe. G. *prorsus.* S. *quid istuc prorsus ergo est?* G. *periymus:*
Actum est. SO. *eloquere obsecro, quid fiet.* GE. *iam.* SO. *quid iam, Geta?*
GE. *Aeschinus.* SO. *quid ergo is?* GE. *alienus a nostra familia.* SO. *hem,*
Periy, quare? GE. *amare occoepit aliam.* SO. *uae miserae mihi.*
GE. *Neque id occulte fert: a lenone ipsius eripuit palam.*
SO. *Satin hoc certum est?* GE. *certum, hisce oculis egomet uidi, Sostrata.* SO. *ah,*
Me miseram, quid credas iam? aut cui credas? nostrum ne Aeschinum,
Nostram uitam omnium, in quo nostrae spes, opesq. omnes sitae erant,
Qui sine hac iurabat se unum numquam uicturum diem,
Qui in sui gremio positurum puerum dicebat patris: ita
Obsecraturum, ut liceret hanc uxorem ducere.
G. *Hera, lacrumas mitte, ac potius, quod ad hanc*

rem

rem opus porro est, prospice.
Patiamur ne, an narremus cuipiam? C. au, au, mi homo, sanun es?
An hoc proferendum tibi usquam esse uidetur? G. mihi quidem non placet.
Iam primum, illum alieno animo a nobis esse, res ipsa indicat.
Nunc si hoc palam proferimus, ille infitias ibit, sat scio:
Tua fama, & gnatae uita in dubium ueniet. tum si maxume
Fateatur, cum amet aliam, non est utile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacito est opus. SO. ah minime gentium:
Non faciam. G. quid ages? S. proferam. G. hem, mea Sostrata, uide quam res agas.
S. Peiore res loco esse non potest, quam in hoc, quo nunc sita est.
Primum indotata est: tum praeterea, quae secunda ei dos erat,
Periit: pro uirgine dari nuptum non potest: hoc relliquom est,
Si infitias ibit, testis mecum est anulus, quem amiserat.
Postremo, quando ego conscia mi sum, a me culpam hanc procul esse, nec
Pretium, neque rem ullam intercesse, illa, aut me, indignam; experiar, Geta.
G. Quid istuc? accedo, ut melius dicas. SO. tu, quantum

tum potes, abi,
Atque Hegioni cognato, huius rem enarrato omnem ordine.
Nam is nostro Simulo fuit summus, & nos coluit maxume.
GE. Nam hercle alius nemo respicit nos. SO. propera tu, mea Canthara,
Curre, obstetricem accerse, ut, cum opus sit, ne in mora nobis siet.

ACTVS. III. SCENA. III

DEMEA

DISPERII: Ctesiphonem audiui filium
Vna affuisse in raptione cum Aeschino.
Id misero restat mihi mali, si illũ potest,
Quid alicui rei est, etiã eum ad nequitiã adducere.
Vbi ego illum quaeram? credo abductum in ganeũ
Aliquo. persuasit ille impurus, sat scio.
Sed eccũ ire Syrum uideo: hinc scibo iam, ubi siet.
Atque hercle hic de grege illo est: si me senserit
Eum quaeritare, numquam dicet carnufex.
Non ostendam me id uelle.

ACTVS. III. SCENA. IV

SYRVS. DEMEA

OMNEM rem modo seni,
Quo pacto haberet, enarramus ordine.
Nil quidquam uidi laetius. DE. pro Iuppiter,

Iuppiter,
Hominis stultitiam · SY · *collaudauit filium:*
Mihi, qui dedissem consilium, egit gratias.
DE · *Disrumpor* · SY · *argentum annumerauit illico:*
Dedit praeterea in sumptum dimidium minae:
Id distributum sane est ex sententia · DE · *hem,*
Huic mandes, si quid recte curatum uelis.
SY · *Hem Demea, haud adspexeram te: quid agitur?*
DE · *Quid agatur? uostram nequeo mirari satis*
Rationem · SY · *est hercle inepta, ne dicam dolo, atque*
Absurda · *pisces ceteros purga, Dromo:*
Congrum istum maxumum in aqua sinito ludere
Tantisper · *ubi ego rediero, exossabitur:*
Prius nolo · DE · *haecine flagitia?* SY · *mihi quidem non placent:*
Et clamo saepe · *salsamenta haec, Stephanio,*
Fac macerentur pulchre · DE · *dij, uostram fidem;*
Vtrum studio ne id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? uae misero mihi,
Videre uideor iam diem illum, cum hinc egens
Profugiet aliquo militatum · SY · *o Demea,*
Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est,
Videre; sed etiam illa, quae futura sunt,
Prospicere · DE · *quid? istaec iam penes uos psaltria est?*
SY · *Ellam intus* · DE · *eho, an domi est habiturus?* SY · *credo, ut est*
Dementia · DE · *haecine fieri?* SY · *inepta lenitas*
Patris, & facilitas praua · DE · *fratris me quidem*

Pudet, pigetq. SY. nimium inter uos Demea, ac
Non, quia ades praesens, dico hoc, pernimium interest.
Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es:
Ille futilis, somnium. sineres uero illum tuum
Facere haec? DE. sinerem illum? aut non sex totis mensibus
Prius olfecissem, quam ille quidquam coeperet?
SY. Vigilantiam tuam tu mihi narras? DE. sic siet
Modo, ut nunc est. SY. ut quisque suum uolt esse, ita est.
DE. Quid eum? uidistin hodie? S. tuum ne filium?
Abigam hunc rus. iamdudum aliquid ruri agere arbitror.
DE. Satin scis ibi eum esse? SY. oh, egomet produxi. DE. optume est.
Metui, ne haereret hic. SY. atque iratum admodum.
DE. Quid autem? S. adortus iurgio fratrem apud forum
De psaltria istac. D. ain uero? S. uah, nil reticuit:
Nam, ut numerabatur forte argentum, interuenit
Homo de improuiso, coepit clamare, Aeschine,
Haecine flagitia facere te? haec te admittere
Indigna genere nostro? DE. oh, lacrumo gaudio.
SY. Non tu hoc argentum perdis, sed uitam tuam.
DE. Saluos sit: spero: est similis maiorū suum. S. hui.
DE. Syre, praeceptorum plenus istorum ille. SY. phi,
Domi habuit, unde disceret. DE. fit sedulo:
Nil praetermitto: consuefacio: denique
Inspice-

Inspicere, tamquam in speculum, in uitas omnium
Iubeo, atque ex alijs sumere exemplum sibi.
Hoc facito · SY · recte sane · DE · hoc fugito · SY · callide.
DE · Hoc laudi est · SY · istaec res est · DE · hoc uitio datur ·
SY · Probissume · DE · porro autem · SY · non hercle otium est
Nunc mihi auscultandi: pisces ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpãtur, cautio est:
Nam id nobis tam flagitium est, quam illa Demea
Non facere uobis, quae modo dixti: &, quod queo,
Conseruis ad eundem istunc praecipio modum,
Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum:
Illud recte, iterum sic memento: sedulo
Moneo, quae possum pro mea sapientia:
Postremo, tãquam in speculum, in patinas Demea
Inspicere iubeo, & moneo quid facto usus sit.
Inepta haec esse, nos quae facimus, sentio:
Verum quid facias? ut homo est, ita morem geras.
Numquid uis? DE · mentem uobis meliorem dari.
SY · Tu rus abis hinc? DE · recta · SY · nam quid tu agas,
Vbi, si quid bene praecipias, nemo obtemperet?
DE · Ego uero hinc abeo, quando is, quamobrem huc ueneram,
Rus abijt: illum curo unum: ille ad me attinet:
Quando ita uolt frater, de istoc ipse uiderit.

Sed quis illic est, procul quem uideo? est ne hic Hegio,
Tribulis noster? si satis cerno, hercle is est.
Vah, homo amicus nobis iam inde a puero. dij boni,
Ne illiusmodi iam magna nobis ciuium
Paenuria est. antiqua homo uirtute, ac fide.
Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.
Quam gaudeo, ubi etiam huius generis relliquias
Restare uideo. uah, uiuere etiam nunc lubet.
Opperiar hominem hic, ut salutem, & colloquar.

ACTVS · III · SCENA · V

HEGIO · GETA · DEMEA · PAMPHILA

PRO *dij immortales, facinus indignum, Geta,*
Quid narras? GE. *sic est factum.* HE. *ex illan familia*
Tam illiberale facinus esse ortum? o Aeschine,
Pol haud paternum istuc dedisti. DE. *uidelicet*
De psaltria hac audiuit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihil pendit: hei mihi,
Vtinam hic prope adesset alicubi, atque audiret haec.
HE. *Ni facient, quae illos aequom est, haud sic auferent.*
GE. *In te spes omnis, Hegio, nobis sita est:*
Te solum habemus, tu es patronus, tu pater.
Ille tibi moriens nos commendauit senex.

Si deſeris tu, perijmus · HE · caue dixeris:
Nec faciam, neque me ſatis pie poſſe arbitror ·
DE · Adibo · ſaluere Hegionem plurimum
Iubeo · HE · oh te quaerebam ipſum: ſalue Demea ·
DE · Quid autem? HE · maior filius tuus Aeſchinus,
Quem fratri adoptandum dediſti, neque boni,
Neque liberalis functus officium eſt uiri ·
DE · Quid iſtuc? HE · noſtrum amicum noras Simulum, atque
Aequalem? DE · quid ni? HE · filiam eius uirginẽ
Vitiauit · DE · hem · HE · mane, nondum audiſti, Demea,
Quod eſt grauiſſimum · D · an quidquam eſt etiam amplius?
HE · Vero amplius: nam hoc quidem ferendum aliquo modo eſt:
Perſuaſit nox, amor, uinum, adoleſcentia:
Humanum eſt · ubi ſcit factum, ad matrẽ uirginis
Venit ipſus ultro, lacrumans, orans, obſecrans,
Fidem dans, iurans ſe illam ducturum domum ·
Ignotum eſt, tacitum eſt, creditum eſt · uirgo ex eo
Compreſſu grauida facta eſt: menſis hic decimus eſt:
Ille bonus uir nobis pſaltriam, ſi dijs placet,
Parauit, quicum uiuat, illam deſerat ·
DE · Pro certon tu iſtaec dicis? HE · mater uirginis
In medio eſt, ipſa uirgo, res ipſa: hic Geta
Praeterea, ut captus eſt ſeruorum, non malus,
Neque iners, alit illas, ſolus omnem familiam
Suſtentat: hunc abduce, uinci: quaere rem ·

GE. *Immo hercle extorque, nisi ita factum est, Demea:*
Postremo non negabit. coram ipsum cedo.
DE. *Pudet: nec, quid agam; neque, quid huic respondeam,*
Scio. PAM. *miseram me, differor doloribus.*
Iuno Lucina, fer opem, serua me obsecro. HE. *hem.*
Numnam illa quaeso parturit? GE. *certe, Hegio.* HE. *hem,*
Illaec fidem nunc uostram implorat, Demea:
Quod uos uis cogit, id uoluntate impetret.
Haec primum, ut fiant, deos quaeso, ut uobis decet.
Sin aliter animus noster est, ego, Demea,
Summa ui defendam hanc, atque illum mortuum.
Cognatus mihi erat: una a pueris paruoli
Sumus educti: una semper militiae, & domi
Fuimus: paupertatem una pertulimus grauem.
Quapropter nitar, faciam, experiar, denique
Animam relinquam potius, quam illas deseram.
Quid mihi respondes? DE. *fratrem conueniam, Hegio:*
Is quod mihi de hac re dederit consilium, id sequar.
HE. *Sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites,*
Quam uos facillime agitis, quam estis maxume
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxume uos aequo animo aequa noscere
Oportet, si uos uoltis perhiberi probos.
DE. *Redito: fient, quae fieri aequom est, omnia.*

HE · Decet te facere · Geta duc me intro ad Sostratā.
DE · Non me indicente haec fient; utinam hic sit modo
Defunctum: uerum nimia illaec licentia
Profecto euadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, ut in eum haec euomā.

ACTVS · III · SCENA · VI

HEGIO

BONO animo fac sis, Sostrata, & istam quod potes
Fac consolere. ego Micionem, si apud forum est,
Conueniā, atque ut res gesta est, narrabo ordine.
Si est, ut facturus officium siet suum,
Faciat: sin aliter de hac re eius sententia est;
Respondeat mi, ut, quid agam, quamprimum sciam.

ACTVS · IV · SCENA · I

CTESIPHO · SYRVS

AIN patrem hinc abiisse rus? SY · iamdudum. CT · dic sodes. SY · apud
Villam est. nunc eum maxume operis aliquid facere credo. CT · utinam quidem.
Quod cū salute eius fiat, ita se defatigarit uelim,
Vt triduo hoc perpetuo e lecto prorsus nequeat surgere.

SY. Ita fiat, & istoc si quid potis est rectius. CT. ita. nam hunc diem
Misere nimis perpetuum, ut coepi, cupio in laetitia degere:
Et illud rus nulla alia caussa tā male odi, nisi quia
Prope est: quod si abesset longius,
Prius nox oppressisset illic, quam huc reuorti posset iterum.
Nunc, ubi me illic non uidebit, iam huc recurret, sat scio:
Rogabit me, ubi fuerim: quem ego hodie toto non uidi die.
Quid dicam? SY. nihil ne in mentem est? CT. numquam quidquam. SY. tanto nequior
Cliens, amicus, hospes nemo est uobis? CT. sunt: quid postea?
SY. Hisce opera ut data sit. CT. quae non data sit? non potest fieri. SY. potest.
CT. Interdiu: sed si hic pernocto, caussae quid dicam, Syre?
SY. Vah, quam uellem etiā noctu amicis operam mos esset dari.
Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulchre calleo:
Cum feruit maxume, tam placidum, quam ouem reddo. CT. quo modo?
SY. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum:
Virtutes narro. CT. meas? SY. tuas. homini illico lacrumae cadunt,

Quasi puero, gaudio · hem tibi autem · CT · *quidnam est?* S · LVPVS · IN · FABVLA ·
CT · *Pater ne est?* SY · *ipsus ·* CT · *Syre, quid agimus?*
SY · *fuge modo intro: ego uidero ·*
CT · *Si quid rogabit, nusquam tu me: audistin?* SY · *potin ut desinas?*

ACTVS · IV · SCENA · II

DEMEA · CTESIPHO · SYRVS

N*E ego homo sum infelix · primum fratrem nusquam inuenio gentium:*
Praeterea autem, dum illum quaero, a uilla mercenarium
Vidi: is filium negat esse ruri: nec, quid agam, scio ·
CT · *Syre ·* SY · *quid est?* CT · *men quaerit?* SY · *uerum ·* CT · *perij ·* SY · *quin tu animo bono es:*
DE · *Quid hoc, malum, infelicitatis? nequeo satis decernere:*
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miserijs ·
Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia:
Primus porro obnuncio: aegre solus, si quid fit, fero ·
SY · *Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia ·*
DE · *Nunc redeo: si forte frater redierit, uiso ·* CT · *Syre,*

Obsecro, uide ne ille huc prorsus se irruat. SY. etiam taces?
Ego cauebo. CT. numquam hercle hodie ego istuc committam tibi.
Nam me iam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutissimum est.
SY. Age, tamen ego hunc amouebo. DE. sed eccum sceleratum Syrum.
SY. Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.
Scire equidem uolo, quot mihi sint domini. quae haec est miseria? D. quid
Ille gannit? quid uolt? quid ais, bone uir? est frater domi?
SY. Quid, malum, bone uir, mihi narras? equidem perij. D. quid tibi est?
SY. Rogitas? Ctesipho me pugnis miserum, & istam psaltriam
Vsque occidit. DE. hem, quid narras? S. hem, uide ut discidit labrum.
DE. Quam ob rem? SY. me impulsore hanc emptam esse ait. D. non tu eum rus hinc modo
Produxe aiebas? SY. factum: uerum post uenit insaniens,
Nil pepercit. non puduisse uerberare hominem senem,
Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestaui meis?
DE. Laudo Ctesipho: patrissas: abi, uirum te iudico.
SY. Laudas? ne ille cõtinebit posthac, si sapiet, manus.
DE. For-

DE· *Fortiter* · SY · *perquam, quia miseram mulierem, & me seruolum,*
Qui referire non audebam, uicit, hui, perfortiter.
DE· *Non potuit melius : idem sensit quod ego, te esse huic rei caput.*
Sed est ne frater intus? SY · *non est* · DE· *ubi illum quaeram, cogito.*
SY· *Scio ubi sit, uerum hodie numquam monstrabo.* DE· *hem, quid ais?* SY · *ita* ·
DE· *Deminuetur tibi quidem iam cerebrum* · S· *at nomen nescio*
Illius hominis, sed locum noui ubi sit · DE· *dic ergo locum.*
SY· *Nostin porticum apud macellum hanc deorsum?* DE· *quid ni nouerim?*
SY· *Praeterito hac recta platea sursum : ubi eo ueneris,*
Cliuos deorsum uorsum est, hac te praecipitato : postea
Est ad hanc manum sacellum : ibi angiportum propter est.
DE· *Quonam?* SY · *illic, ubi etiam caprificus magna est : nostin?* DE · *noui* · SY · *hac pergito* ·
DF· *Id quidem angiportum non est peruium* · SY · *uerum hercle · uah,*
Censen hominem me esse? erraui · in porticum rursum redi ·
Sane hac multo propius ibis, & minor est erratio ·
Scin Cratini huius ditis edes? DE· *scio* · SY · *ubi eas praeterieris,*

Ad sinistram hac recta platea; ubi ad Dianae ueneris,
Ito ad dextram: prius, quam ad portam uenias, apud ipsum lacum
Est pistrilla, & exaduorsum fabrica, ibi est. DE. quid ibi facit?
SY. Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit,
Vbi potetis uos. DE. sane bene. sed cesso ad eum pergere?
SY. I sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium:
Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur.
Ctesipho autem in amore est totus. ego iam prospiciam mihi:
Nam iam adibo, atque unumquidquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, &, cyathos sorbillans, paullatim hunc producam diem.

ACTVS . IV . SCENA . III

MICIO . HEGIO

EGO in hac re nihil reperio, quam ob rem lauder tantopere, Hegio.
Meum officium facio: quod peccatum a nobis ortum est, corrigo:
Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant
Sibi fieri iniuriam, si quam fecere ipsi. ultro expostulant,

Et ultro

Et ultro accuſant · id quia non eſt a me factum, agis gratias?

H· Ah, minime: numquam te aliter, atque es, in animum induxi meum ·

Sed quaeſo, ut una mecum ad matrem uirginis eas, Micio,

Atque iſtaec eadem, quae mihi dixti, tute dicas mulieri,

Suſpicionem hanc propter fratrem eius eſſe, & illam pſaltriam ·

M· Si ita aequom cenſes, aut ita opus eſt facto, eamus· H· bene facis:

Nam & illi animum iam relleuabis, quae dolore, ac miſeria

Tabeſcit; & tu officio fueris functus · ſed ſi aliter putas,

Egomet narrabo quae mihi dixti · M · immo ego ibo· H· bene facis:

OMNES, quibus res ſunt minus ſecundae, magis ſunt neſcio quo modo

Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:

Propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt neglegi ·

Quapropter te ipſum purgare ipſis coram, placabilius eſt ·

M· Et recte, & uerum dicis· H· ſequere me ergo hac intro· M· maxume ·

AESCHINVS

DISCRVCIOR *animi. hocine de improuiso mali mihi obijci*
Tantum, ut neque quid de me faciam, neque quid agam, certum siet?
Membra metu debilia sunt: animus timore obstupuit: pectore
Consistere nihil consilij quidquam potest. Vah, quo modo
Me ex hac turba expediam? tanta nunc suspicio de me incidit,
Neque ea immerito. Sostrata credit, mihi me emisse hanc psaltriam:
Anus indicium id fecit mihi.
Nam ut hinc forte ea ad obstetricem missa erat, ubi eam uidi, illico
Accedo, rogito, Pamphila quid agat, iam partus assiet:
Eo ne obstetricem accersat. illa exclamat, abi, abi iam Aeschine:
Satis diu uerba dedisti: satis ad hoc tua nos frustrata est fides.
Hem, quid istuc obsecro inquam est? ualeas, habeas illam, quae placet.
Sensi illico id illas suspicari: sed me repressi tamẽ,
Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam.
Nunc quid faciam? dicam ne fratris esse hanc? quod minime est opus

Vſquam efferri · age, omitto : fieri potis eſt, uti ne qua exeat :
Ipſum id metuo uti credant : tot concurrunt uerisimilia :
Egomet rapui : ipſe egomet ſolui argentum : ad me abducta eſt domum ·
Haec adeo mea culpa fateor fieri · non me hanc rem patri, ut ut
Erat geſta, indicaſſe : exoraſſem ut eam ducerem domum ·
Ceſſatum eſt uſque adhuc: nunc iam porro Aeſchine expergiſcere :
Nunc hoc primum eſt : ad illas ibo, ut purgem me: accedam ad fores :
Perij, horreſco ſemper, ubi pultare haſce occipio fores miſer ·
Heus, heus : Aeſchinus ego ſum, aperite aliquis actutum oſtium ·
Prodit neſcio quis, concedam huc ·

ACTVS · IV · SCENA · V

MICIO · AESCHINVS

ITA uti dixi, Soſtrata,
Facite : ego Aeſchinum conueniam, ut, quomodo acta haec ſint, ſciat ·
Sed quis oſtium hoc pultauit? AE · *pater hercle eſt: perij ·* M · *Aeſchine ·*
AE · *Quid hic huic negoti eſt?* M · *tu ne has pepuliſti fores?*

fores? tacet.
Cur hunc aliquantisper non ludo? melius est:
Quandoquidem hoc numquam mihi ipse uoluit credere.
Nil mihi respondes? AE. non equidem istas, quod sciam.
M. Ita? nam mirabar, quid hic negoti esset tibi.
Erubuit: salua res est. AE. dic sodes, pater,
Tibi uero quid istic est rei? M. nihil mihi quidem.
Amicus quidam me a foro abduxit modo
Huc aduocatum sibi. AE. quid? M. ego dicam tibi.
Habitant hic quaedam mulieres pauperculae:
Opinor eas non nosse te, & certo scio:
Neque enim diu huc commigrarunt. AE. quid tũ postea?
M. Virgo est cum matre. AE. perge. M. haec uirgo orba est patre:
Hic meus amicus illi genere est proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. AE. perij. M. quid est?
AE. Nil recte: perge. M. is uenit, ut secum auehat:
Nam habitat Mileti. AE. hem, uirginem ut secum auehat?
M. Sic est. AE. Miletum usque, obsecro? M. ita. AE. animo male est.
Quid ipsae? quid aiunt? M. quid illas censes? nihil enim
Commenta mater est, esse ex alio uiro
Nescio quo puerum natum, neque eum nominat:
Priorem

Priorem esse illum, non oportere huic dari.
AE. Eho, non ne haec iusta tibi uidentur postea?
M. Non. AE. obsecro, non? an illam hinc abducet pater?
M. Quid ni illam abducat? AE. factum a uobis duriter,
Immisericorditerque, atque etiam, si est pater,
Dicendum magis aperte, illiberaliter.
M. Quam ob rem? AE. rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi misero, qui illi consueuit prius,
(Qui infelix, haud scio, an illam misere nunc amat)
Cum hanc sibi uidebit praesens praesenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum, pater.
M. Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui, quando nupsit? actor his rebus quis est?
Cur duxit alienam? AE. an sedere oportuit
Domi uirginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc ueniret exspectantem? haec, mi pater,
Te dicere aequom fuit, & id defendere.
M. Ridicule: aduorsum ne illum caussam dicerem,
Cui ueneram aduocatus? sed quid ista, Aeschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid est?
Quid lacrumas? AE. pater, obsecro, ausculta. M. Aeschine, audiui omnia,
Et scio: nam amo te: quo magis, quae agis, curae sunt mihi.
AE. Ita uelim me promerentem ames, dum uiuas,

mi pater,
Vt me hoc delictum admisisse in me id mihi uehementer dolet,
Et me tui pudet. M. credo hercle: nam ingenium noui tuum
Liberale: sed uereor ne indiligens nimium sies.
In qua ciuitate tandem te arbitrare uiuere?
Virginem uitiasti, quam te ius non fuerat tãgere.
Iam id peccatum primum magnum, magnum, at humanum tamen.
Fecere alij saepe, item boni. at postquam euenit, cedo,
Numquid circumspexti? aut numquid tute prospexti tibi,
Quid fieret? qua fieret? si te ipsum mihi puduit dicere:
Qua resciscerem? haec dum dubitas, menses abierunt decem.
Prodidisti & te, et illam miseram, & gnatũ, quod quidem in te fuit.
Quid? credebas, dormienti haec tibi confecturos deos?
Et sine tua opera illam in cubiculum iri deductum domum?
Nolim certarum rerum te socordem eodem modo.
Bono animo es, duces uxorem hanc. AE. hem. M. bono animo es, inquam. AE. pater,
Obsecro num ludis tu nunc me? M. ego te? quam ob rem? AE. nescio.
Nisi, quia tam misere hoc esse cupio uerum, eo uereor

reor magis.

MI· *Abi domum, ac deos comprecare, ut uxorem accersas: abi.*

AE· *Quid? iam ne uxorem?* M· *iam.* AE· *iam?* M· *iam quantum pote.* AE· *di me, pater,*

Omnes oderint, ni magis te, quam oculos nūc amo meos.

MI· *Quid? quam illam?* AE· *aeque.* MI· *perbenigne.* AE· *quid? ille ubi est Milesius?*

MI· *Abijt, perijt, nauem adscendit: sed cur cessas?* AE· *abi, pater:*

Tu potius deos comprecare: nam tibi eos certe scio,

Quo uir melior multo es, quam ego sum, obtemperaturos magis.

MI· *Ego eo intro, ut, quae opus sunt, parentur: fac tu, ut dixi, si sapis.*

AE· *Quid hoc est negoti? hoc est patrem esse, aut hoc est filium esse?*

Si frater, aut sodalis esset, qui magis morem gereret?

Hic non amandus? hicine non gestandus in sinu est? hem,

Itaque adeo magnam mi iniecit sua commoditate curam,

Ne forte imprudens faciam, quod nolit. sciens cauebo.

Sed cesso ire intro, ne mora meis nuptijs egomet sim?

ACTVS

DEMEA

DEFESSVS sum ambulando. ut, Syre, te cum tua
Monstratione magnus perdat Iuppiter.
Perreptaui usque omne opidum ad portam, ad lacum,
Quo non? neque fabrica illic ulla erat, neque fratrem homo
Vidisse aiebat quisquam. nunc uero domi
Certum obsidere est usque, donec redierit.

ACTVS · IV · SCENA · VII

MICIO · DEMEA

IBO, illis dicam nullam esse in nobis moram.
DE. Sed eccum ipsum. te iamdudum quaero, Micio.
MI. Quidnam? DE. fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adolescentis. MI. ecce autem. DE. noua,
Capitalia. MI. ohe, iam. DE. nescis, qui uir sit. MI. scio.
DE. Ah, stulte, tu de psaltria me somnias
Agere? hoc peccatum in uirginem est ciuem. MI. scio.
DE. Eho, scis, & patere? MI. quid ni patiar? DE. dic mihi,
Nõ clamas? non insanis? MI. non. malim quidem.

DE. Puer

DE· Puer natus eſt. M· dij bene uortant. DE· uirgo nihil habet.
M· Audiui. DE· & ducenda indotata eſt? M· ſcilicet.
DE· Quid nunc futurum eſt? M· id enim, quod res ipſa fert:
Illinc huc transferetur uirgo. DE· o Iuppiter,
Iſtocine pacto oportet? M· quid faciam amplius?
DE· Quid facias, rogitas? ſi non re ipſa tibi dolet,
Simulare certe eſt hominis. M· quin iam uirginem
Deſpondi: res compoſita eſt: fiunt nuptiae:
Dempſi metum omnem: haec magis ſunt hominis. DE· ceterum
Placet tibi factum, Micio? M· non, ſi queam
Mutare: nunc, cum non queo, aequo animo fero.
Ita uita eſt hominum, quaſi, cum ludas teſſeris;
Si illud, quod eſt maxume opus iactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.
DE· Corrector: nempe tua arte uiginti minae
Pro pſaltria periere: quae, quantum poteſt,
Aliquo abijcienda eſt, ſi non pretio, at gratijs.
M· Neque eſt, neque illam ſane ſtudeo uendere.
DE· Quid igitur facies? M· domi erit. DE· pro diuum fidem,
Meretrix, & mater familias, una in domo?
M· Cur non? DE· ſanum te credis eſſe? M· equidem arbitror.
DE· Ita me dij ament, ut uideo ego tuam ineptiam:
Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
M· Cur non? DE· et noua nupta eadem haec diſcet? M· ſcilicet.

DE. *Tu inter eas restim ductans saltabis.* M. *probe:*
Et tu nobiscum una, si opus sit. DE. *hei mihi,*
Non te haec pudent? M. *iam uero omitte, Demea,*
Tuam istanc iracundiam, atque ita, uti decet,
Hilarum, ac lubentem fac in gnati nuptijs.
Ego hos conueniam, post huc redeo. DE. *o Iuppiter,*
Hancine uitam? hoscine mores? hanc dementiam?
Vxor sine dote ueniet: intus psaltria est:
Domus sumptuosa: adolescens luxu perditus:
Senex delirans: ipsa, si cupiat, Salus,
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

ACTVS . V . SCENA . I

SYRVS . DEMEA

EDEPOL, *Syrisce, te curasti molliter,*
Lauteq. munus administrasti tuum:
Abi. sed, postquam intus sum omnium rerum satur,
Prodeambulare huc libitum est. DE. *illud sis uide*
Exemplum disciplinae. SY. *ecce autem hic adest senex*
Noster. qui fit? quid tu es tristis? DE. *ohe scelus.*
SY. *Eho iam tu uerba fundis hic, sapientia?*
DE. *Tun? si meus esses.* SY. *dis quidem esses, Demea,*
Ac tuam rem constabilisses. DE. *exemplum omnibus,*
Curarem, ut esses. SY. *quamobrem? quid feci?* DE. *rogas?*
In ipsa turba, atque in peccato maxumo,

Quod uix ſedatum ſatis eſt, potaſti ſcelus,
Quaſi re bene geſta. SY · ſane nollem huc exitum.

ACTVS · V · SCENA · II

DROMO · SYRVS · DEMEA

HEVS, Syre, rogat te Cteſipho ut redeas.
SY · abi.
DE. Quid Cteſiphonem hic narrat? SY · nihil.
DE · eho, carnufex,
Eſt Cteſipho intus? SY · non eſt. DE · cur hic nominat?
SY · Eſt alius quidam paraſitaſter paruolus,
Noſtin? DE · iam ſcibo. SY · quid agis? quo abis?
DE · mitte me.
SY · Noli inquam. DE · non manum abſtines, maſtigia?
An tibi mauis cerebrum diſpergam hic? SY · abijt.
Edepol comiſſatorem haud ſane commodum,
Praeſertim Cteſiphoni. quid ego nunc agam?
Niſi, dum hae ſileſcunt turbae, interea in angulum
Aliquo abeam, atque edormiſcam hoc uilli. ſi agã.

ACTVS · V · SCENA · III

MICIO · DEMEA

PARATA a nobis ſunt, ut dixi, Soſtrata,
Vbi uis. quiſnam a me pepulit tam grauiter fores?

DE. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?
O caelum, o terra, o maria Neptuni. M. hem tibi,
Resciuit omnem rem: id nunc clamat: ilicet:
Paratae lites: succurrendum est. DE. eccum adest
Communis corruptela nostrum liberum.
M. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
DE. Repressi, redij, mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus. dictum inter nos hoc fuit,
Ex te adeo est ortum, ne tu curares meum,
Ne ue ego tuum. responde. M. factum est, non nego.
DE. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam, Micio? nam qui minus
Mihi idem ius aequom est esse, quod mecũ est tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
M. Non aequom dicis, non: nam uetus uerbum hoc quidem est,
COMMVNIA esse amicorum inter se omnia.
DE. Facete: nunc demum istaec nata oratio est.
M. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea.
Principio, si id te mordet, sumptum filij
Quem faciunt, quaeso facito haec tecum cogites.
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quod satis putabas tua bona ambobus fore,
Et me tum uxorem credidisti scilicet
Ducturum: eandem illam rationẽ antiquã obtine:
Conserua, quaere, parce, fac quamplurimum

Illis relinquas: gloriam tu istam obtine:
Mea, quae praeter spem euenere, utantur sine.
De summa nihil decedet: quod hinc accesserit,
Id de lucro putato esse. omnia si haec uoles
In animo uere cogitare, Demea,
Et mihi, & tibi, & illis dempseris molestiam.
DE· Mitto rem. consuetudinem ipsorum. M· mane:
Scio: istuc ibam. multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus coniectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, saepe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod, qui facit:
Quae ego esse in illis uideo, ut confidam fore ita,
Vt uolumus. uideo eos sapere, intellegere, in loco
Vereri, inter se amare: scire est liberum
Ingenium atque animum: quouis illos tu die
Reducas. at enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paullo. o noster Demea,
Ad omnia alia aetate sapimus rectius:
Solum unum hoc uitiũ affert senectus hominibus;
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
Quos illos sat aetas acuet. DE· ne nimium modo
Bonae tuae istae nos rationes, Micio,
Et tuus iste animus aequus subuortat. MI· tace,
Non fiet. mitte iam istaec: da te hodie mihi:
Exporge frontem. DE· scilicet, ita tempus fert,
Faciundum est: ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu. M· immo de nocte censeo:
Hodie modo hilarum fac te. DE· & istã psaltriam
Vna illuc mecum hinc abstraham. MI· pugnaueris.

Eo pacto prorsum illi alligaris filium.
Modo facito, ut illam serues. DE. *ego istuc uidero: atque*
Illi fauillae plena, fumi, ac pollinis
Coquendo sit saxo, & molendo: praeter haec,
Meridie ipso, faciam, ut stipulam colligat:
Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo est. MI. *placet.*
Nunc mihi uidere sapere. atque equidem filium,
Tum etiam si nolit, cogas, cum illa una cubet.
DE. *Derides? fortunatus, qui isto animo sies:*
Ego sentio. MI. *ah pergis ne?* DE. *iam iam desino.*
MI. *I ergo intro, & cui rei est, ei rei hunc sumamus diem.*

ACTVS. V. SCENA. IV

DEMEA

NVMQVAM *ita quisquam bene subducta ratione ad uitam fuit,*
Quin res, aetas, usus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat, ut illa, quae te scire credas, nescias,
Et, quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.
Quod mi euenit nunc: nam ego uitam duram, quam uixi usque adhuc,
Prope iam excurso spatio mitto: id quamobrem? re ipsa repperi

FACILITATE *nihil homini esse melius, neque clementia · id*
Esse uerum, ex me, atque ex fratre, cuiuis facile est noscere.
Vitam ille suam semper egit in otio, in conuiuijs:
Clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus.
Sibi uixit: sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.
Ego ille agrestis, saeuus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi uxorem: quam ibi miseriam uidi? nati filij,
Alia cura: porro autem, illis dum studeo ut quam plurimum
Facerem, contriui in quaerundo uitam, atque aetatem meam:
Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab ijs fero,
Odium. ille alter sine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia:
Illum diligunt: apud illum sunt ambo, ego desertus sum:
Illum, ut uiuat, optant, meam autem mortem exspectant scilicet:
Ita eos, meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paullo sumptu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.

Age age, nunc iam experiamur contra, ecquid ego possiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando eo prouocat.
Ego quoque a meis me amari, & magnipendi postulo.
Si id fit dando, atque obsequendo, non posteriores feram.
Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maxumus.

ACTVS . V . SCENA . V

SYRVS . DEMEA

HEVS, Demea, rogat frater, ne abeas longius
D. Quis homo? Syre noster, salue, quid fit? quid agitur?
SY. Recte. DE. optume est. iam nunc haec tria primum addidi
Praeter naturam: o noster, quid fit? quid agitur?
Seruom haud illiberalem praebes te, & tibi
Lubēs bene faxim. SY. gratiā habeo. D. atqui Syre
Hoc uerum est, & ipsa re experire propediem.

ACTVS . V . SCENA . VI

GETA . DEMEA

HERA, ego huc ad hos prouiso, quam mox uirginem
Accersunt. sed eccū Demeā. saluos sies.
D. Oh,

DE· *Oh, qui uocare?* GE· *Geta.* DE· *Geta, hominem maxumi*
Pretij esse hodie te iudicaui animo meo:
Nam is mihi est profecto seruus spectatus satis,
Cui dominus curae est, ita ut tibi sensi, Geta:
Et tibi ob eam rem, si quis usus uenerit,
Lubens bene faxim· meditor esse affabilis,
Et bene procedit· GE· *bonus es, cum haec existumas·*
DE· *Paullatim plebem primulum facio meam·*

ACTVS · V · SCENA · VII

AESCHINVS · DEMEA · SYRVS · GETA

OCCIDVNT *me equidem, dum nimis sanctas nuptias*
Student facere, in apparando consumunt diem·
DE· *Quid agitur, Aeschine?* AE· *hem, pater mi, tu hic eras?*
DE· *Tuus hercle uero & animo, & natura pater,*
Qui te plus, quam oculos hosce; sed cur non domū
Vxorem accersis? AE· *cupio: uerum hoc mihi mora est,*
Tibicina, & hymenaeum qui cantent· DE· *eho,*
Vin tu huic seni auscultare? AE· *quid?* DE· *missa haec face,*
Hymenaeum, turbam, lampadas, tibicinas:
Atque hanc in horto maceriam iube dirui
Quantum potest, hac transfer, unam fac domum:
Transduce

Trāsduce & matrem, & familiam omnem ad nos.
AE. placet,
Pater lepidissime. DE. euge, iam lepidus uocor.
Fratri edes fient peruiae: turbam domum
Adducet, sumptum admittet: multa: quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam: iube nunc iam
Dinumeret illi Babylo uiginti minas.
Syre, cessas ire, ac facere? SY. quid ago? D. dirue:
Tu, illas, abi, & traduce. GE. dij tibi, Demea,
Bene faxint, cum te uideo nostrae familiae
Tam ex animo factum uelle. DE. dignos arbitror.
Tu quid ais? AE. sic opinor. DE. multo rectiust,
Quam illam puerperam nunc duci huc per uiam
Aegrotam. AE. nihil enim uidi melius, mi pater.
DE. Sic soleo: sed eccum Micio egreditur foras.

ACTVS . V . SCENA . IIX

MICIO . DEMEA . AESCHINVS

IVBET frater? ubi is est? tu iubes hoc, Demea?
D. Ego uero iubeo, & in hac re, & alijs omnibus
Quammaxume unam facere nos hanc familiam,
Colere, adiuuare, adiungere. AE. ita quaeso pater,
MI. Haud aliter censeo. DE. immo hercle ita nobis decet.
Primum huius uxoris est mater. MI. quid postea?
DE. Proba, & modesta. MI. ita aiunt. DE. natu grandior.

MI. Scio.

MI · Scio · DE · parere iam diu haec per annos nõ potest:
Nec, qui eam respiciat, quisquam est: sola est · MI · quam hic rem agit?
DE · Hanc te aequom est ducere, & te operam, ut fiat, dare ·
MI · Me ducere autem? DE · te · MI · me? DE · te, inquam · MI · ineptis · DE · si tu sis homo,
Hic faciat · AE · mi pater · MI · quid? tu autem, asine, huic auscultas · DE · nihil agis ·
Fieri aliter non pote · MI · deliras · AE · sine te exorem, mi pater ·
MI · Insanis? aufer te · DE · age, da ueniam filio · M · satin sanus es?
Ego nouus maritus anno demum quincto & sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? id ne estis auctores mihi?
AE · Fac: promisi ego illis · MI · promisti autem? de te largitor, puer,
DE · Age, quid, si quid te maius oret? MI · quasi non hoc sit maxumum ·
DE · Age, da ueniam · AE · ne grauare · DE · fac, promitte · MI · non omittis? AE · non,
Nisi te exorem · MI · uis haec quidem est · D · age, age, prolixe Micio ·
MI · Etsi hoc mihi prauom, ineptum, absurdum, atque alienum a uita mea
Videtur, si uos tantopere istuc uoltis, fiat · AE · bene facis:
Merito te amo · DE · uerum quid? quid ego dicam?

hoc

hoc confit quod uolo.
Quid nunc, quod restat? Hegio cognatus his est pro-
ximus (cet.
Affinis nobis pauper: bene nos aliquid facere illi de
MI. Quid facere? DE. agelli hic est sub urbe paullum, quod locitas foras:
Huic demus, qui fruatur. M. paullum id autem? DE. si multumst, tamen
Faciundum est: pro patre huic est, bonus est, noster est: recte datur.
Postremo non meum illud uerbum facio, quod tu, Micio,
Bene, & sapienter dixti dudum, VITIVM commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus. hanc maculam nos decet
Effugere. dictum est uere, & re ipsa fieri oportet, Micio.
MI. quid istuc est? dabitur, quando quidem hic uolt, Aeschine. AE. mi pater.
DE. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore, & animo. MI. gaudeo.
DE. Suo sibi hunc gladio iugulo. –

ACTVS. V. SCENA. IX

SYRVS. DEMEA. MICIO. AESCHINVS

ACTVM est, quod iusti, Demea.
D. –F Frugi homo es. ego edepol hodie mea quidem sententia

Iudi-

Iudico, Syrum fieri aequom liberum. MI· *istunc liberum?*

Quodnam ob factum? MI· *multa.* SY· *o noster Demea, edepol uir bonus es:*

Ego istos uobis usque a pueris curaui ambos sedulo,

Docui, monui, bene praecepi semper quae potui omnia

DE· *Res apparet. & quidem haec porro, obsonare, cum fide*

Scortum adducere, apparare de die conuiuium:

Non mediocris hominis haec sunt officia. SY· *o lepidum caput.*

DE· *Postremo hodie in psaltria hac emunda hic adiutor fuit,*

Hic curauit: prodesse aequom est: alij meliores erunt:

Denique hic uolt fieri. MI· *uin tu hoc fieri?* AE· *cupio.* MI· *si quidem*

Tu uis, Syre, eho accede huc ad me, liber esto. SY· *bene facis:*

Omnibus gratiam habeo, & seorsum tibi praeterea, Demea.

MI· *Gaudeo.* AE· *& ego.* S· *credo: utinam hoc perpetuum gaudium, ut*

Phrygiam uxorem meam una mecum uideam liberam. MI· *optumam*

Mulierem quidem. SY· *& quidem nepoti tuo, huius filio,*

Hodie prima mammam dedit haec. DE· *hercle uero serio,*

Siqui-

Siquidem prima dedit, haud dubium, quin emitti aequom siet.

MI. *Ob eam rem?* DE. *ob eam: postremo a me argentum, quanti est, sumito.*

SY. *Dij tibi, Demea, omnes semper omnia optata offerant.*

MI. *Syre, processisti hodie pulchre.* DE. *siquidem porro, Micio,*

Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paullum prae manu

Dederis, unde utatur. reddet tibi cito. MI. *istoc uilius.*

AE. *Frugi homo est.* SY. *reddam hercle. da modo.* AE. *age, pater.* MI. *post consulam.*

DE. *Faciet.* SY. *o uir optime.* AE. *o pater mi festiuissime.*

MI. *Quid istuc? quae res tam repente mores mutauit tuos?*

Quod prolubium? quae istaec subita est largitas? DE. *dicam tibi.*

Vt id ostenderem, quod te isti facilem, & festiuum putant,

Id non fieri ex uera uita, neque adeo ex aequo & bono,

Sed ex assentando, indulgendo, & largiendo, Micio.

Nunc adeo si ob eam rem uobis mea uita inuisa est, Aeschine,

Quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor:

Missa

Missa facio, effundite, emite, facite quod uobis lubet.
Sed, si id uoltis potius, quae uos propter adolescentiam
Minus uidetis, magis impense cupitis, consulitis parum,
Haec reprehendere, & corrigere me; obsecundare in loco:
Ecce me, qui id faciam uobis. AE. *tibi, pater, permittimus:*
Plus scis, quid facto opus est. sed de fratre quid fiet? DE. *sino*
Habeat. finem in istac faciat. MI. *istuc recte.*

PLAVDITE.

Hecyram in suum, idest, in ultimum, locum reiecimus.

PHORMIO TERENTII

ACTA · LVDIS · ROMANIS

L. POSTVMIO. ALBINO. ET. L. CORNELIO. MERVLA. AED. CVR.

EGERE

L · AMBIVIVS · TVRPIO

L · ATILIVS · PRAENESTINVS

MODOS . FECIT

FLACCVS · CLAVDI

TIBIIS · IMPARIB.

TOTA · GRAECA · APOLLODORV

EPIDICAZOMENOS

FACTA · IV · C · FANNIO · M · VALERIO · COS.

C. SVLPICII. APOLLINARIS PERIOCHA

CHREMETIS *frater aberat peregre Demipho,*
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clam habebat Lemni uxorem, & filiam,
Athenis aliam coniugem, & amantem unice
Gnatum fidicinam. mater e Lemno aduenit
Athenas: moritur: uirgo sola (aberat Chremes)
Funus procurat. ibi eam uisam. Antipho
Cum amaret, opera parasiti uxorem accipit.
Pater, & Chremes reuersi fremere: dein minas
Triginta dant parasito, ut illam coniugem
Haberet ipse. argento hoc emitur fidicina.
Vxorem retinet Antipho a patruo agnitam.

PHORMIONIS . PERSONAE

EARVMQ. INTERPRETATIO

PHORMIO, parasitus, ἀπὸ τῶν φορμῶν, a sarmentis, & codicibus; uel, ut uult Donatus, a spateis fiscis, & stramentis nauticis.
DEMIPHO, senex, τὸ τοῦ δήμου φῶς, populi claritas.
CHREMES, senex, uide sup. pag. 3.
ANTIPHO, adolescens, pag. 59.
PHAEDRIA, adolescens, pag. 59.
GETA, seruus, pag. 184.
DAVVS, seruus, pag. 3.
DORIO, leno, a gente, unde etiam δωριάζειν.
SOPHRONA, nutrix. pag. 59.
NAVSISTRATA, matrona, magnificum nomen a copijs naualibus, quarum gloria populus Atheniensis aliquando floruit.
CRATINVS, aduocatus, a robore, quod est κράτος.
HEGIO, aduocatus, pag. 184.
CRITO, aduocatus, pag. 3.

Sequentium tantum hic mentio fit.

DORCIVM, ancilla, ἀπὸ τῆς δορκὸς, a dama.
PHANIVM, adolescentula, ἀπὸ τοῦ φανοῦ, a facula.

POSTQVAM poeta uetus poetam non potest
Retrahere studio, & transdere hominem in otium,
Maledictis deterrere, ne scribat, parat:
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione, & scriptura leui,
Quia nusquam scripsit insanum adolescentulum
Ceruam uidere fugere, & sectari canes,
Et eam plorare, orare ut subueniat sibi.
Quod si intellegeret, cum stetit olim noua,
Actoris opera magis stetisse, quam sua:
Minus multo audaciter, quam laedit, laederet;
Et magis placerent, quas fecisset fabulas.
Nunc, si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet,
Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum inuenire prologum potuisset nouus
Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret:
Is sibi responsum hoc habeat; in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artẽ tractant musicam.
Ille ad famem hunc ab studio studuit reijcere:
Hic respondere uoluit, non lacessere.
Benedictis si certasset, audisset bene:
Quod ab ipso allatũ est, sibi esse id rellatum putet.
De illo iam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi cum ipse de se finem non facit.
Nunc, quid uelim, animum attendite. apporto nouam
Epidicazomenon quam uocant comoediam

Graeci, Latini Phormionem nominant;
Quia, primas partes qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxume.
Voluntas uostra si ad poetam accesserit,
Date operam, adeste aequo animo per silentium:
Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
Cum per tumulum noster grex motus loco est:
Quem actoris uirtus nobis restituit locum,
Bonitasq; uostra adiutans, atque aequanimitas.

DAVVS

AMICVS summus meus, et popularis Geta
Heri ad me uenit: erat ei de ratiuncula
Iampridē apud me relliquum pauxillulū
Nummorum: id ut conficerem · confeci: affero.
Nam herilem filium eius duxisse audio
Vxorem: ei credo munus hoc conraditur.
Quam inique comparatū est, ij, qui minus habēt,
Vt semper aliquid addant diuitioribus.
Quod ille unciatim uix demenso de suo,
Suum defrudans genium, comparsit miser,
Id illa uniuersum abripiet, haud existumans
Quanto labore partum · porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies,
Vbi initiabunt: omne hoc mater auferet:
Puer caussa erit mittundi· sed uideon Getam?

ACTVS · I · SCENA · II

GETA · DAVVS

SI QVIS me quaeret rufus · DA· praesto est, desine· GE· oh,
At ego obuiam conabar tibi, Daue· DA· accipe, hem:
Lectum est, conueniet numerus, quantum debui.
GE· Amo te, & non neglexisse habeo gratiam·
DA· Praesertim ut nunc sunt mores: adeo res redit:
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

Sed quid tu es tristis? GE. ego ne? nescis, quo in metu, &
Quanto in periculo sim. DA. quid istuc est? GE. scies,
Modo ut tacere possis. DA. abi sis insciens:
Cuius tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere ei uerba credere? ubi quid mihi lucri est
Te fallere? GE. ergo ausculta. DA. hanc operam tibi dico.
GE. Senis nostri, Daue, fratrem maiorem Chremem
Nostin? DA. quid ni? GE. quid? eius gnatum Phaedriam?
DA. Tãquam te. GE. euenit, senibus ambobus simul
Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam
Ad hospitem antiquom: is senem per epistolas
Pellexit, modo non montes auri pollicens.
DA. Cui tanta erat res, & supererat? GE. desinas:
Sic est ingenium. DA. oh, regem me esse oportuit.
GE. Abeuntes ambo hinc tum senes me filijs
Relinquunt quasi magistrum. DA. o Geta, prouinciam
Cepisti duram. GE. mihi usu uenit hoc, scio:
Memini, relinqui me, deo irato meo.
Coepi aduorsari primo: quid uerbis opust?
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
DA. Venere in mentem istaec mihi: nam quae inscitia est,
ADVORSVM stimulũ calces? GE. coepi ijs omnia
Facere, obsequi quae uellent. DA. scisti VTI FORO.
GE. Noster mali nil quidquam primo: hic Phaedria
Continuo

Continuo quandam nactus est puellulam
Citharistriam: hanc amare coepit perdite.
Ea seruiebat lenoni impurissimo:
Neque, quod daretur quidquam, id curarant patres.
Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere, & reducere.
Nos otiosi operam dabamus Phaedriae.
In quo haec discebat ludo, ex aduorsum ei loco
Tonstrina erat quaedam: hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea, dum sedemus illi, interuenit
Adolescens quidam lacrumans, nos mirarier:
Rogamus, quid sit: numquam aeque (inquit) ac modo
Paupertas mihi onus uisum est & miserum, & graue.
Modo quandam uidi uirginem hic uiciniae
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
Ea sita erat ex aduorsum: neque illi beneuolens,
Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam,
Quisquam aderat, qui adiutaret funus. miseritum est.
Virgo ipsa facie egregia. quid uerbis opust?
Commorat omnes nos: ibi continuo Antipho,
Voltis ne eamus uisere? alius, censeo,
Eamus, duc nos sodes: imus, uenimus,
Videmus: uirgo pulchra: &, quo magis diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem:

Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida:
Lacrumae, uestitus turpis, ut, ni uis boni
In ipsa inesset forma, haec formam exstinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodo,
Satis, inquit, scita est: noster uero. DA. *iam scio:*
Amare coepit. GE. *scin quam? quo euadat, uide:*
Postridie ad anum recta pergit: obsecrat,
Vt sibi eius faciat copiam. illa enim se negat:
Neque eum aequom ait facere: illam ciuem esse Atticam,
Bonam, bonis prognatam: si uxorem uelit,
Lege id licere facere; sin aliter, negat.
Noster, quid ageret, nescire: & illam ducere
Cupiebat, & metuebat absentem patrem.
DA. *Non, si rediisset, ei pater ueniam daret?*
GE. *Ille indotatam uirginem, atque ignobilem*
Daret illi? numquam faceret. DA. *quid fit denique?*
GE. *Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,*
Homo confidens: qui (illum dii omnes perduint)
DA. *Quid is fecit?* GE. *hoc consilium, quod dicam, dedit.*
Lex est, ut orbae, qui sint genere proxumi,
Iis nubant: & illos ducere eadem haec lex iubet.
Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam:
Paternum amicum me adsimulabo uirginis:
Ad iudices ueniemus: qui fuerit pater,
Quae mater, qui cognata tibi sit, omnia haec
Confingam: quod erit mihi bonum, atque commodum.
Cum tu horum nihil refelles, uincam scilicet.
Pater

Pater aderit : mihi paratae lites : quid mea?
Illa quidem nostra erit· DA· iocularem audaciam·
GE· Persuasumst homini: factum est: uentum est: uincimur :
Duxit · DA· quid narras? GE· hoc, quod audis· DA· o Geta,
Quid te futurum est? GE· nescio hercle : unum hoc scio :
Quod fors feret, feremus aequo animo· DA· placet :
Hem istuc uiri est officium · GE· in me omnis spes mihi est ·
DA · Laudo · GE· ad precatorem adeam credo, qui mihi
Sic oret : nunc amitte quaeso hunc : ceterum
Posthac si quidquam, nihil precor · tantummodo
Non addat, ubi ego hinc abiero, uel occidito ·
DA· Quid ille paedagogus, qui citharistriam?
Quid rei gerit? GE· sic, tenuiter · DA· non multum habet
Quod det fortasse · GE · immo nihil, nisi spem meram ·
DA· Pater eius rediit, an non? GE· nondum· DA· quid? senem
Quoad exspectatis uostrum? GE· non certum scio :
Sed epistolam ab eo allatam esse audiui modo,
Et ad portitores esse delatam : hanc petam ·
DA· Numquid, Geta, aliud me uis? GE· ut bene sit tibi ·
Puer, heus· nemon huc prodit? cape, da hoc Dorcio·

ACTVS

ANTIPHO · PHAEDRIA

ADEON rem rediſſe, ut, qui mihi conſultum eſſe optume uelit,
Phaedria, patrem extimeſcam, ubi in mentem eius aduenti uenit?
Quid ni fuiſſem incogitans, ita eum exſpectarem, ut par fuit.
PH· Quid iſtuc eſt? AN· rogitas? qui tam audacis facinoris mihi conſcius
Sis? quod utinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet,
Neu me cupidum eo impuliſſet, quod mihi principium eſt mali.
Non potitus eſſem: fuiſſet tum mihi illos aegre aliquot dies:
At non quotidiana cura haec angeret animũ. PH· audio.
AN· Dum exſpecto quam mox ueniat, qui adimat hãc mihi conſuetudinem.
PH· Alijs, quia defit quod amant, aegre eſt; tibi, quia ſupereſt, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certe uita haec expetenda, optandaq· eſt.
Ita me dij bene ament; ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui.
Iam depeciſci mortem cupio· tu conijcito cetera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex iſtac copia:

Vt ne addam, quod sine sumptu ingenuam, liberalem nactus es:
Quod habes, ita ut uoluisti, uxorem, sine mala fama: palam.
Beatus, ni unum desit, animus qui modeste istaec ferat.
Et si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est, tum sentias.
Ita plerique ingenio sumus omnes: nostri nosmet paenitet.

AN. *At tu mihi contra nunc uidere fortunatus, Phaedria,*
Cui deintegro est potestas etiam consulendi, quid uelis,
Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi, infelix, locum,
Vt neque mihi eius sit amittendi, nec retinendi copia.
Sed hoc quid est? uideon ego aduenire huc currentem Getam?
Is ipsus est. timeo, miser, quam nunc mihi hic rem nunciet.

ACTVS · I · SCENA · IV

GETA · ANTIPHO · PHAEDRIA

NVLLVS *es, Geta, nisi aliquod iam tibi consilium celere repereris:*
Ita subito nunc imparatum tanta te impendent mala:

Quae

Quae neque uti deuitem ſcio, neque quo modo me inde extraham:
Nam non poteſt celari noſtra diutius iam audacia.
AN. Quidnam ille commotus uenit? GE. tum, temporis punctum mihi
Ad hanc rem eſt: herus adeſt. AN. quid iſtuc eſt mali?
GE. Quod cum audierit, quod eius remedium inueniam iracundiae?
Loquar ne? incendam. taceam? inſtigem. purgem me? laterem lauem.
Eheu me miſerum: cum mihi pauco, tum Antipho me excruciat animi:
Eius me miſeret: ei nunc timeo: is nunc me retinet. nam abſque eo
Eſſet: recte ego mihi uidiſſem, & ſenis eſſem ultus iracundiam:
Aliquid conuaſaſſem, atque hinc me conijcerem protinam in pedes.
AN. Quam hic fugam, aut furtum parat?
GE. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quaerere inſiſtam uia?
PH. Te nominat. AN. neſcio quod magnum hoc nuncio exſpecto malum.
PH. Ah, ſanus ne es?
GE. Domum ire pergam: ibi plurimum eſt. PH. reuocemus hominem. AN. ſta illico. GE. hem,
Satis pro imperio, quiſquis es. AN. Geta. GE. ipſe eſt, quem uolui obuiam.
AN. Cedo, quid portas, obſecro? atque id, ſi potes,

uerbo

uerbo expedi·

GE· Faciam· AN· eloquere· GE· modo apud portum· AN· meum ne? GE· intellexti· AN· occidi· PH· hem·

AN· Quid agam? PH· quid ais? GE· huius patrem ui diſſe me, patruum tuum·

AN· Nam, quod ego huic nunc ſubito exitio remediũ inueniam miſer?

Quod ſi eo meae fortunae redeunt, Phanium, abs te ut diſtrahar;

Nulla eſt mihi uita expetenda· GE· ergo iſtaec cum ita ſint, Antipho,

Tanto magis te aduigilare aequom eſt· FORTES fortuna adiuuat·

AN· Non ſum apud me· GE· atqui opus eſt nunc, cum maxume, ut ſis, Antipho:

Nam, ſi ſenſerit te timidum pater eſſe, arbitrabitur

Commeruiſſe culpam· PH· hoc uerum eſt· AN· non poſſum immutarier·

GE· Quid faceres, ſi aliquid grauius tibi nunc faciundum foret?

AN· Cum hoc non poſſum, illud minus poſſem· GE· hoc nihil eſt, Phaedria: ilicet:

Quid conterimus operam fruſtra? quin abeo? PH· & quidem ego· AN· obſecro,

Quid ſi aſſimulo? ſatin eſt? GE· garris· AN· uoltum contemplamini, hem,

Satin ſic eſt? GE· non· AN· quid ſi ſic? GE· propemodum· AN· quid ſi ſic? GE· ſat eſt:

Hem

Hem, istuc serua, & uerbum uerbo, par pari ut respondeas,
Ne suis te iratus saeuidictis protelet. AN. scio.
GE. Vi coactum te esse inuitum, lege, iudicio: tenes?
Sed, quis hic est senex, quem uideo in ultima platea? AN. ipsus est.
Non possum adesse. GE. ah, quid agis? quo abis, Antipho? mane,
Mane, inquam. AN. egomet me noui, & peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, & uitam meam.
PH. Geta, quid nunc fiet? GE. tu iam lites audies,
Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.
Sed, quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmet ipsos facere oportet, Phaedria.
PH. Aufer mihi, oportet: quin tu, quod faciam, impera.
GE. Meministin olim ut fuerit uostra oratio
In re incipiunda ad defendendam noxiam?
Iustam illam caussam, facilem, uincibilem, optumam.
PH. Memini. GE. hem, nunc ipsa est opus, aut, si quid potest
Meliore, & callidiore. PH. fiet sedulo.
GE. Nunc prior adito tu: ego in insidijs hic ero
Succenturiatus, si quid deficies. PH. age.

ACTVS

DEMIPHO · GETA · PHAEDRIA

ITA ne tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo?
Nec meum imperium: age, mitto imperium: non simultatem meam
Reuereri? saltem non pudere? o facinus audax · o Geta
Monitor. GE. uix tandem. DE. quid mihi dicent? aut quam caussam reperient?
Demiror. GE. atqui repperi iam: aliud cura. DE. anne hoc dicet mihi?
Inuitus feci: lex coegit. audio, fateor. GE. places.
DE. Verum scientem, tacitum caussam tradere aduersarijs,
Etiam ne id lex coegit? PH. illud durum. GE. ego expediam: sine.
DE. Incertum est, quid agam, quia praeter spem, atque incredibile hoc mihi accidit.
Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.
Quamobrem OMNES, cum secundae res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto aduorsam aerumnam ferant:
Pericla, damna, exsilia peregre rediens semper cogitet,
Aut fili peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae:
Communia esse haec, fieri posse: ut ne quid animo

sit

sit nouum:

Quidquid praeter spem eueniat, omne id deputare esse in lucro.

GE. *O Phaedria, incredibile est, quanto herum anteeo sapientia.*

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda: herus si redierit,

Molendum usque in pistrino: uapulandum: habendae compedes:

Opus ruri faciundum: horum nil quidquam accidet animo nouum.

Quidquid praeter spem eueniet, omne id deputabo esse in lucro.

Sed, quid hominem cessas adire, & blande in principio alloqui?

DE. *Mei fratris uideo filium ire mihi obuiam.*

PH. *Mi patrue, salue.* DE. *salue: sed ubi est Antipho?*

PH. *Saluom aduenire.* DE. *credo: hoc responde mihi.*

PH. *Valet: hic est: sed satin omnia ex sententia?*

DE. *Vellem quidẽ.* PH. *quid istuc?* DE. *rogitas, Phaedria?*

Bonas me absente hic confecistis nuptias.

PH. *Eho, an id suscenses nunc illi?* GE. *o artificem probum.*

DE. *Ego ne illi non suscenseam? ipsum gestio*

Dari mi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat

Lenem patrem illum factum me esse acerrimum.

PH. *Atqui nil fecit, patrue, quod suscenseas.*

DE. *Ecce autem similia omnia: omnes congruunt:*

Vnum cognoris, omnes noris. PH. *haud ita est.*

DE· Hic in noxa eſt, ille ad defendendam cauſſam adeſt:
Cum ille eſt, hic praeſto eſt: tradunt operas mutuas.
GE· Probe eorum facta imprudens depinxit ſenex:
DE· Nam, ni haec ita eſſent, cum illo haud ſtares, Phaedria.
PH· Si eſt, patrue, culpam ut Antipho in ſe admiſerit,
Ex qua re minus rei foret, aut famae temperans:
Non cauſſam dico, quin, quod meritus eſt, ferat.
Sed, ſi quis forte malitia fretus ſua,
Inſidias noſtrae fecit adoleſcentiae,
Ac uicit: noſtra ne ea culpa eſt, an iudicum,
Qui ſaepe propter inuidiam adimunt diuiti,
Aut propter miſericordiam addunt pauperi?
GE· Ni noſſem cauſſam, crederem uera hunc loqui.
DE· An quiſquam iudex eſt, qui poſſit noſcere
Tua iuſta, ubi tute uerbum non reſpondeas,
Ita ut ille fecit? PH· functus adoleſcentuli eſt
Officium liberalis: poſtquam ad iudices
Ventum eſt, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum obſtupefecit pudor.
GE· Laudo hunc: ſed ceſſo adire quamprimum ſenem?
Here, ſalue: ſaluom te aduenisse gaudeo· DE· oh,
Bone cuſtos, ſalue, columen uero familiae,
Cui commendaui filium hinc abiens meum.
GE· Iamdudum te omnes nos accuſare audio,
Immerito, & horum me omnium immeritiſſimo:
Nam, quid me in hac re facere uoluiſti tibi?

Seruom hominem caussam orare leges non sinunt:
Neque testimonij dictio est. DE. *mitto omnia: adde*
Istuc: imprudens timuit adolescens: sino:
Tu seruus: uerum, si cognata est maxume,
Non fuit necesse habere; sed, id quod lex iubet,
Dotem daretis; quaereret alium uirum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
GE. *Non ratio, uerum argentum, deerat.* DE. *sumeret*
Alicunde. GE. *alicunde? nihil est dictu facilius.*
DE. *Postremo, si nullo alio pacto, uel fenore.*
GE. *Hui, dixti pulchre, si quidem quisquam credet*
Te uiuo. DE. *non, non sic futurum est, non potest.*
Ego ne illam cum illo ut patiar nuptam unum diẽ?
Nil suaue meritum est. hominem commonstrarier
Mihi istum uolo, aut, ubi habitet, demonstrarier.
GE. *Nempe Phormionem.* DE. *istum patronum mulieris.*
GE. *Iam faxo hic aderit.* DE. *Antipho ubi nunc est?*
PH. *foris.*
DE. *Abi, Phaedria, eum require, atque adduce huc.*
PH. *eo*
Recta uia equidem illuc. GE. *nempe ad Pamphilã.*
DE. *at ego*
Deos penates hinc salutatum domum
Diuortor: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos aduocabo, ad hanc rem qui assient,
Vt ne imparatus sim, cum adueniet Phormio.

PHORMIO · GETA

ITA ne patris ais conspectum ueritum hinc abiisse? GE· admodum.

PH. Phanium relictam solam? GE· sic. PH· & iratum senem?

GE· Opido. PH· ad te summa solum, Phormio, rerum redit:

Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum. accingere.

GE· Obsecro te. PH· si rogabit. GE· in te spes est. PH· ecere,

Quid si reddet? GE· tu impulisti. PH· sic opinor. GE· subueni.

PH· Cedo senem: iam instructa sunt mihi in corde consilia omnia.

GE· Quid ages? PH· quid uis? nisi ut maneat Phanium, atque ex crimine hoc

Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram deriuem senis?

GE· O uir fortis, atque amicus: uerum hoc saepe, Phormio,

Vereor, ne istaec fortitudo in neruum erumpat denique. PH· ah,

Non ita est: FACTVM est periclum, iam PEDVM uisa est uia.

Quot me censes homines iam deuerberasse usque ad necem

Hospites? tum ciues? quo magis noui, tanto saepius.

Cedo dum, en umquam iniuriarum audisti mi scriptam dicam?

GE. Qui istuc? PH. quia NON RETE accipitri tenditur, neque miluio,

Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt, tenditur:

Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur,

Alijs aliunde est periclum. unde aliquid abradi potest:

Mihi sciunt nihil esse. dices, ducent damnatum domum:

Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt mea sententia,

Pro maleficio si beneficium summum uolunt reddere.

GE. Non pote satis pro merito ab illo tibi referri gratia.

PH. Immo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.

Te ne asymbolum uenire, unctum, atque lautum, e balneis,

Otiosum ab animo: cum ille & cura, & sumptu absumitur,

Dum tibi sit, quod placeat: ille ringitur, tu rideas:

Prior bibas, prior decumbas: cena dubia apponitur?

GE. Quid istuc uerbi est? PH. ubi tu dubites, quid sumas potissimum.

Haec, cum rationem ineas, quam sint suauia, & quam

& quam cara sint;
Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem deum?
GE· *Senex adest · uide, quid agas: prima coitio est acerrima:*
Si eam sustinueris, postilla iam, ut lubet, ludas licet ·

ACTVS · II · SCENA · II

DEMIPHO · GETA · PHORMIO

E N *umquam cuiquam contumeliosius*
Audistis factam iniuriam, quam haec est mihi?
Adeste, quaeso · GE· *iratus est ·* PH· *quin tu hoc age:*
Iam ego hunc agitabo · pro deum immortalium,
Negat Phanium esse hãc sibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat esse cognatam? GE· *negat ·*
DE· *Ipsum esse opinor, de quo agebam · sequimini ·*
PH· *Neque eius patrẽ se scire, qui fuerit?* GE· *negat ·*
PH· *Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit?* GE· *negat ·*
PH· *Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,*
Neglegitur ipsa: uide, AVARITIA *quid facit ·*
GE· *Si herum insimulabis malitiae, male audies ·*
DE· *O audaciam; etiam me ultro accusatum aduenit ·*
PH· *Nam iam adolescenti nihil est quod suscenseam,*
Si illum minus norat: quippe homo iam grandior,
Pauper, cui opera uita erat, ruri fere

Se continebat : ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat : saepe interea mihi senex
Narrabat, se hunc neglegere cognatum suum :
At quem uirum? quē ego uiderim in uita optumū.

GE. Videas te, atque illum, ut narras. PH. in malam crucem :
Nam, ni ita eum existumassem, numquam tam graues
Ob hanc inimicitias caperem in uostram familiā,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.

GE. Pergin hero absenti male loqui, impurissime?

PH. Dignum autem hoc illo est. GE. ain tandem, carcer? DE. Geta.

GE. Bonorum extortor, legum contortor. DE. Geta.

PH. Responde. GE. quis homo est? ehem. DE. tace. GE. absenti tibi
Te indignas, seq. dignas contumelias
Numquam cessauit dicere hodie. DE. ohe, desine.
Adolescens, primum abs te hoc bona uenia peto.
Si tibi placere potis est, mihi ut respondeas :
Quem amicum tuum ais fuisse istū, explana mihi,
Et qui cognatum me sibi esse diceret.

PH. Proinde expiscare, quasi non nosses. DE. nossem? PH. ita.

DE. Ego me nego : tu, qui ais, redige ad memoriam.

PH. Eho, tu sobrinum tuum non noras? DE. enicas :
Dic nomen. PH. nomen? maxume. DE. quid nunc tacis?

PH. Perij hercle, nomen perdidi. DE. hem, quid ais? PH. Geta,

Si meministi id quod olim dictum est, subijce. hem,
Non dico: quasi non noris, tentatum aduenis.
DE· Egon autē tento? GE· Stilpho· PH· atque adeo, quid mea?
Stilpho est· DE· quem dixti? PH· Stilphonem inquam noueras?
DE· Neque ego illum noram, neque mihi cognatus fuit
Quisquam isto nomine· PH· ita ne? non te horum pudet?
At, si talentum rem reliquisset decem·
DE· Dij tibi male faciāt· PH· primus esses memoriter
Progeniem nostram usque ab auo atque atauo proferens·
DE· Ita ut dicis· ego tum si aduenissem, qui mihi
Cognata ea esset, dicerem: itidem tu face:
Cedo, qui est cognata GE· heus noster, recte: heus tu caue·
PH· Dilucide expediui, quibus me oportuit
Iudicibus: tum, si id falsum fuerat, filius
Cur non refellit? DE· filium narras mihi?
Cuius de stultitia dici, ut dignum est, non potest·
PH· At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
Iudicium de eadem caussa iterum ut reddant tibi:
Quandoquidem solus regnas, & soli licet
Hic de eadem caussa bis iudicium adipiscier·
DE· Etsi facta mihi iniuria est, uerumtamen,
Potius quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet
Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe·

PH. Ha, ha hae, homo suauis. DE. quid est? num iniquom postulo?
An ne hoc quidem ego adipiscar, quod ius publicum est?
PH. Ita ne tandem, quaeso, ciuem ubi abusus sis,
Mercedem dare lex iubet ei, atque amittere; an,
Vt ne quid turpe ciuis in se admitteret
Propter egestatem, proxumo iussa est dari,
Vt cum uno aetatem degeret, quod tu uetas?
DE. Ita, proxumo quidem: at nos unde? aut quam ob rem? PH. ohe,
ACTVM. AIVNT. NE. AGAS. DE. non agam? immo haud desinam,
Donec perfecero hoc. PH. ineptis. DE. sine modo.
PH. Postremo tecum nihil rei nobis, Demipho, est:
Tuus est damnatus gnatus, non tu: nam tua
Praeterierat iam ducendi aetas. DE. omnia haec
Illum putato, quae ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cũ uxore hac ipsum prohibebo domo.
GE. Iratus est. PH. tute idem melius feceris.
DE. Ita ne es paratus facere me aduorsum omnia,
Infelix? PH. metuit hic nos, tametsi sedulo
Dissimulat. GE. bene habent tibi principia. PH. quin, quod est
Ferundum, fers? tuis factis dignum feceris,
Vt amici inter nos simus. DE. egon tuam expetam
Amicitiam? aut te uisum, aut auditum uelim?
PH. Si concordabis cum illa, habebis, quae tuam
Senectutem oblectet: respice aetatem tuam.

DE· Te oblectet: tibi habe· PH· min ue uero iram·
DE· hoc age:
Satis iam uerborum est: nisi tu properas mulierē
Abducere, ego illam eijciam: dixi, Phormio
PH· Si tu illam attigeris secus, quam dignum est liberam,
Dicam impingam tibi grandem: dixi, Demipho·
Si quid opus fuerit, heus, domo me· GE· intellego·

ACTVS · II · SCENA · III

DEMIPHO · GETA · HEGIO
CRATINVS · CRITO

QVANTA me cura, & sollicitudine afficit
Gnatus, qui me, & se hisce impediuit nuptijs?
Neque mi in conspectum prodit; ut saltem sciam,
Quid de hac re dicat, quid ue sit sententiae·
Abi, tu uise, redierit ne iam, an nondum, domum·
GE· Eo· DE· uidetis, quo in loco res haec siet:
Quid ago? dic, Hegio· HE· ego Cratinum censeo,
Si tibi uidetur· DE· dic, Cratine· CRA· me ne uis?
DE· Te· CRA· ego, quae in rem tuam sint, ea uelim facias· mihi
Sic hoc uidetur· quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum aequom est, & bonum:
Et id impetrabis· dixi· DE· dic nunc, Hegio·
HE· Ego sedulo hunc dixisse credo: uerum ita est,
QVOT · HOMINES · TOT · SENTENTIAE · SVVS
CVIQVE · MOS

Mihi

Mihi non uidetur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse: & turpe inceptu est. D. dic, Crito.
CRI. Ego amplius deliberandum censeo:
Res magna est. HE. numquid nos uis? DE. fecistis probe:
Incertior sum multo, quam dudum. GE. negant
Rediisse. DE. frater est exspectandus mihi: is
Quod mihi dederit de hac re cõsilium, id exsequar.
Percunctatum ibo ad portum, quoad se recipiat.
GE. At ego Antiphonem quaeram, ut, quae acta hic sunt, sciat.
Sed eccum ipsum uideo in tempore huc se recipere.

ACTVS . III . SCENA . I

ANTIPHO . GETA

ENIMVERO, Antipho, multimodis cũ istoc animo uituperandus es.
Ita ne hinc abiisse, & uitam tutandam dedisse aliis tuam?
Alios tuam rem credidisti, quam te, animaduersuros magis?
Nam, ut ut erant alia, illi certe consuleres, quae nunc tuae est domi:
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali:
Cuius nunc miserae spes, opesq. sunt in te uno omnes sitae.
GE. Equidem, here, nos iã dudum hic te absentem incusamus, qui abieris.

AN· *Te ipsum quaerebam*· GE·*sed ea caussa nihilo ma gis defecimus*·

AN· *Loquere, obsecro, quonam in loco sunt res & fortunae meae?*

Numquid patri subolet? GE· *nil etiam*· AN· *ecquid spei porro est?* GE· *nescio*· AN· *ah*·

GE· *Nisi Phaedria haud cessauit pro te eniti*· AN· *nihil fecit noui*·

GE· *Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, strenuum hominem praebuit*·

AN· *Quid is fecit?* GE· *confutauit uerbis admodum iratum senem*·

AN· *Heu Phormio*· GE· *ego, quod potui porro*· AN· *mi Geta, omnes uos amo*·

GE· *Sic sese habent principia, ut dico: adhuc tranquil la res est:*

Mansurusq· patruum pater est, dum huc adueniat· AN· *quid eum?* GE· *aiebat,*

De eius consilio uelle sese facere, quod ad hanc rem attinet·

AN· *Quantus metus est mihi, uenire huc saluom nunc patruum, Geta:*

Nam, ut audio, per unam eius aut uiuam, aut mo riar sententiam·

GE· *Phaedria tibi adest*· AN· *ubinam?* GE· *eccum ab sua palaestra exit foras*·

PHAEDRIA · DORIO · ANTIPHO · GETA

D ORIO, *audi, obſecro.* DO. *non audio.* PH. *parumper.* DO. *quin omitte me.*

PH. *Audi, quod dicam.* DO. *at enim taedet iam audire eadem millies.*

PH. *At nunc dicam, quod lubenter audias.* DO. *loquere. audio.*

PH. *Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc? quo nunc abis?*

DO. *Mirabar, ſi tu mihi quidquam afferres noui.*

AN. *Hei, metuo lenonem, ne quid ſuat ſuo capiti.* GE. *idem ego metuo.*

PH. *Non mihi credis?* DO. *hariolare.* PH. *ſin fidem do.* DO. *fabulae.*

PH. *Feneratum iſtuc beneficium tibi pulchre dices.* DO. *logi.*

PH. *Crede mihi, gaudebis facto: uerum hercle hoc eſt.* DO. *ſomnium.*

PH. *Experire, non eſt longum.* DO. *cantilenam eandem canis.*

PH. *Tu mihi cognatus, tu amicus, tu parens.* DO. *garri modo.*

PH. *Adeo ne ingenio eſſe duro te, atque inexorabili,*
Vt neque miſericordia, neque precibus molliri queas?

DO. *Adeon te eſſe incogitantem atque impudentem, Phaedria,*
Vt phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratijs?

AN. *Mi-*

AN· *Miseritum est.* PH· *hei ueris uincor.* GE· *quam similis uterque est sui?*

PH· *Neque, alia, Antipho, cum occupatus esset sollicitudine,*

Tum esse hoc mi obiectum malum? AN· *ah, quid istuc autem est, Phaedria?*

PH· *O fortunatissime Antipho.* AN· *ego ne?* PH· *qui quod amas, domi est;*

Nec cum huiusmodi umquam usus uenit ut conflictares malo.

AN· *Mihi domi est? immo, id quod aiunt,* AVRIBVS TENEO · LVPVM

Nam neque, ut amittam a me, inuenio; neque, uti retineam, scio.

DO· *Ipsum istuc mihi in hoc est.* AN· *eia, ne parum leno sies.*

Numquid hic confecit? PH· *hicine? quod homo inhumanissimus:*

Pamphilam meam uendidit. GE· *quid uendidit?* AN· *ain, uendidit?*

PH· *Vendidit.* DO· *quam indignum facinus, ancillam aere emptam suo.*

PH· *Nequeo exorare, ut me maneat, & cum illo ut mutet fidem*

Triduum hoc; dum id, quod est promissum, ab amicis argentum aufero.

Si non tum dedero, unam praeterea horam ne oppertus sies.

DO· *Obtundis.* AN· *haud longum est quod orat, Dorio: exoret, sine:*

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, condu plicauerit.

DO. *Verba istaec sunt.* AN. *Pamphilam ne hac urbe priuari sines?*

Tum praeterea horum amorem distrahi poterin pati?

DO. *Neque ego, neque tu.* GE. *dij tibi omnes id, quod est dignum, duint.*

DO. *Ego te complures aduorsum ingenium meum men ses tuli*

Pollicitantem, & nil ferentem, flentem: nunc contra, omnia haec:

Repperi, qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.

AN. *Certe hercle, satis si commemini, tibi quidem est olim dies,*

Quam ad dares huic, praestituta. PH. *factum.* DO. *num ego istuc nego?*

AN. *Iam ne ea praeterijt?* DO. *non, uerum ei haec antecessit.* AN. *non pudet*

Vanitatis? DO. *minime, dum ob rem.* GE. *sterquilinium.* PH. *Dorio,*

Ita ne tandem facere oportet? DO. *sic sum: si placeo, utere.*

AN. *Sicine hunc decipis?* DO. *immo enimuero, Antipho, hic me decipit:*

Nam hic me huiusmodi scibat esse: ego hunc esse aliter credidi.

Iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, ac fui.

Sed, ut ut haec sunt, tamen hoc faciam: cras mane

argen-

argentum mihi
Miles se daredixit: si mihi prior tu attuleris, Phaedria,
Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est · Vale ·

ACTVS · III · SCENA · III

PHAEDRIA · ANTIPHO · GETA

Q VID *faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inueniam, miser,*
Cui minus nihilo est? quod si hic potuisset nunc exoriarier
Triduum hoc, promissum fuerat · AN · *itane hunc patiemur, Geta,*
Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adiurit comiter?
Quin, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?
GE · *Scio equidem hoc esse aequom ·* AN · *age ergo, solus seruare hunc potes ·*
GE · *Quid faciam?* AN · *inuenias argentum ·* GE · *cupio: sed, id unde, edoce ·*
AN · *Pater adest hic ·* GE · *scio: sed, quid tum?* AN · *ah, dictum sapienti sat est ·*
GE · *Itane?* AN · *ita ·* GE · *sane hercle pulchre suades: etiam tu hinc abis?*
Non triumpho, ex nuptijs tuis si nil nanciscor mali,
Ni etiam nunc me huius quaerere caussa in malo

iubeas

iubeas crucem?

AN. Verum hic dicit. PH. quid? ego uobis, Geta, alienus sum? GE. haud puto:

Sed parum ne est, omnibus quod nunc nobis suscenset senex,

Ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci?

PH. Alius ab oculis meis illam ignotum abducet locum?

Hem, dum igitur licet, dumq. adsum, loquimini mecum, Antipho:

Contemplamini me. AN. quamobrem? aut quidnam facturus? cedo.

PH. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi,

Aut perire. GE. dij bene uortant, quod agas: pedetentim tamen.

AN. Vide, si quid opis potes afferre huic. GE. si quid? quid? AN. quaere, obsecro,

Ne quid plus minus ue faxit, quod nos post pigeat, Geta.

GE. Quaero: saluos est, ut opinor: uerum enim metuo malum.

AE. Noli metuere: una tecum bona, mala tolerabimus.

GE. Quantum argenti opus est tibi? loquere. PH. solae triginta minae.

GE. Triginta? hui, percara est, Phaedria. PH. istaec uero uilis est.

GE. Age, age, inuentas reddam. PH. o lepidum caput.

put· GE· aufer te hinc· PH· iam opus est.
GE· Iam feres· sed opus est mihi Phormionem adiutorem ad rem hanc dari·
AN· Praesto est: audacissime oneris quiduis impone, & feret:
SOLVS·EST·HOMO·AMICO·AMICVS· GE· eamus ergo ad eum ocius·
Numquid est, quod mea opera uobis opus sit? GE· nil: uerum abi domum, &
Illam miseram, quam ego nunc intus scio esse exanimatam metu,
Consolare· cessas? AN· nihil est, aeque quod faciam lubens·
PH· Qua uia istuc facies? GE· dicam in itinere: modo te hinc amoue·

ACTVS · IV · SCENA · I

DEMIPHO · CHREMES

QVID? qua profectus caussa hinc es Lemnum, Chremes,
Adduxtin tecum filiam? CH· non· DE· quid ita non?
CH· Postquam uidet me eius mater hic esse diutius,
Simul autem non manebat aetas uirginis
Meam neglegentiam: ipsam cum omni familia ad
Me profectam esse aiebant· DE· quid illic tam diu
Quaeso igitur commorabare, ubi id audieras?
CH· Pol me detinuit morbus· DE· unde? aut qui?
CH· rogas?

SENECTVS · IPSA · EST · MORBVS : ſed, uenisse eas
Saluas, audiui ex nauta, qui illas uexerat.

DE· Quid gnato obtigerit me abſente, audiſtin, Chreme?

CH· Quod quidem me factum conſilij incertum facit:
Nam hanc condicionem ſi cui tulero extraneo,
Quo pacto, aut unde mihi ſit, dicendum ordine eſt.
Te mihi fidelẽ eſſe aeque, atque egomet ſum mihi,
Scibam: ille ſi me alienus affinem uolet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin ſpreuerit me; plus, quam opus eſt ſcito, ſciet:
Vereorque, ne uxor aliqua hoc reſciſcat mea.
Quod ſi fit, ut me excutiam, atque egrediar domo,
Id reſtat: nam ego meorum ſolus ſum meus.

DE· Scio ita eſſe, & iſtaec mihi res ſollicitudini eſt:
Neque defetiſcar umquam adeo experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus ſum, effecero.

ACTVS · IV · SCENA · II

GETA

EGO hominem callidiorem uidi neminem,
Quam Phormionem. uenio ad hominem, ut dicerem
Argento opus eſſe, & id quo pacto fieret:
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat: me laudabat: quaerebat ſenem:
Dijs gratias agebat, tempus ſibi dari,
Vbi Phaedriae ſe oſtenderet nihilo minus

Amicum

Amicum esse, quam Antiphoni. hominem ad forũ
Iussi opperiri: eo me esse adducturum senem.
Sed eccum: quis est ulterior? at at Phaedriae
Pater uenit: quid pertimui autem, bellua?
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
Commodius esse opinor duplici spe utier.
Petam hinc, unde a primo institui: is si dat, sat est:
Si ab hoc nil fiet, tum hunc adoriar hospitem.

ACTVS · IV · SCENA · III

ANTIPHO · GETA · CHREMES DEMIPHO

EXSPECTO, *quam mox recipiat sese Geta.*
Sed patruum cum patre uideo adstantem. hei mihi,
Quam timeo, aduentus huius quo impellat patrẽ.
GE. *Adibo hosce: o noster Chremes.* CH. *salue, Geta.*
GE. *Venire saluom, uolupe est.* CH. *credo* · GE. *quid agitur?*
CH. *Multa aduenienti, ut fit, noua hic compluria.*
GE. *Ita de Antiphone audistin quae facta?* C. *omnia.*
GE. *Tun dixeras huic? facinus indignum, Chreme,*
Sic circumiri. DE. *cum hoc id agebam commodum.*
GE. *Nam hercle ego quoque id quidem mecum agitans sedulo,*
Inueni, opinor, remedium huic rei. DE. *quid, Geta?*
Quod remediũ? GE. *ut abij abs te, fit forte obuiam*
Mihi Phormio. CH. *qui Phormio?* GE. *is, qui istanc.* CH. *scio.*

GE. Visum est mihi, ut eius tentarem sententiam.
Prendo hominem solum: cur non, inquā, Phormio,
Vides, inter uos sic haec potius cum bona
Vt componantur gratia, quam cum mala?
Herus liberalis est, & fugitans litium:
Nam ceteri quidem hercle amici omnes modo
Vno ore auctores fuere, ut praecipitem hanc daret.
AN. Quid hic coeptat? aut quo euadet hodie? GE. an legibus
Daturum poenas dices, si illam eiecerit?
Iam id exploratum est: eia, sudabis satis,
Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
Verum pone esse uictum eum: at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, sed pecuniae.
Postquam hominem his uerbis sentio mollirier,
Soli sumus nunc, inquam, hic. eho, dic, quid uelis dari
Tibi in manum, ut herus his desistat litibus,
Haec hinc facessat, tu molestus ne sies?
AN. Satin illi dij sunt propitij? GE. nam sat scio,
Si tu aliquam partem aequi boniq. dixeris,
Vt ille est bonus uir, tria non commutabitis
Verba hodie inter uos. DE. quis te istaec iussit loqui?
CH. Immo non potuit melius peruenirier
Eo, quo nos uolumus. AN. occidi. CH. perge eloqui.
GE. At primo homo insanibat. CH. cedo, quid postulat?

GE· *Quid? nimium: quantum libuit.* CH· *dic.* GE· *si quis daret*
Talentum magnum. CH· *immo malum hercle: ut nil pudet.*
GE· *Quod dixi adeo ei: quaeso, quid si filiam*
Suam unicam locaret? parui rettulit
Non suscepisse: inuenta est, quae dotem petat.
Vt ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias,
Haec denique eius fuit postrema oratio:
Ego, inquit, iam a principio amici filiam,
Ita ut aequom fuerat, uolui uxorem ducere:
Nam mihi ueniebat in mentem eius incommodum
In seruitutem pauperem ad ditem dari:
Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quae afferret, qui dissoluerem
Quae debeo. & etiam nunc, si uolt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio, quae sponsa est mihi,
Nullam mihi malim, quam istanc, uxorem dari.
AN· *Vtrum stultitia facere ego hunc, an malitia*
Dicam, scientem, an imprudentem, incertus sum.
DE· *Quid, si animam debet?* GE· *ager oppositust pignori ob*
Decem minas, inquit. DE· *age age, iam ducat: dabo.*
GE· *Ediculae item sunt ob decem alias.* DE· *hoi hui,*
Nimium est. CH· *ne clama: petito hasce a me decem.*
GE· *Vxori emunda ancillula: tum autem pluscula*

Supellectile opus est, opus sumptu ad nuptias:
His rebus pone sane, inquit, decem minas.
DE. *Sexcenta proin potius scribito iam mihi dicas:*
Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
CH. *Quaeso, ego dabo, quiesce: tu modo filius*
Fac ut illam ducat, nos quam uolumus. AN. *hei mihi,*
Geta, occidisti me tuis fallacijs.
CH. *Mea caussa eijcitur: me hoc aequom est amittere.*
GE. *Quantum potes, me certiorem, inquit, face,*
Si illam dant, hanc ut mittam, ne incertus siem:
Nam illi mihi dotem iam constituerunt dare.
CH. *Iam accipiet; illis repudium renunciet:*
Hanc ducat. DE. *quae quidem illi res uortat male.*
CH. *Opportune adeo nunc mecum argentum attuli,*
Fructum, quem Lemni uxoris reddunt praedia:
Id sumam: uxori, tibi opus esse, dixero.

ACTVS . IV . SCENA . IV

ANTIPHO . GETA

A. GETA. GE. *hem.* AN. *quid egisti?* GE. *emunxi argento senes.*
Satin est id? GE. *nescio hercle: tantum iussus sum.*
AN. *Eho, uerbero, aliud mihi respondes, ac rogo?*
GE. *Quid ergo narras?* AN. *quid ergo narrem? opera tua ad*
Restim mihi quidem res redijt planissume:
Vt te quidem omnes dij, deaeque, superi, inferi,

Malis exemplis perdant· hem, si quid uelis,
Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo inferat ·
Quid minus utile fuit, quam hoc ulcus tangere,
Aut nominare uxorem? iniecta est spes patri,
Posse illam extrudi· cedo, nunc porro Phormio
Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum:
Quid fiet? GE· enim non ducet · AN· noui: ceterũ
Cum argentum repetent, nostra caussa scilicet
In neruom potius ibit· GE· nihil est, Antipho,
Quin male narrando possit deprauarier·
Tu id, quod boni est, excerpis: dicis, quod mali est ·
Audi nunc contra iam· si argentum acceperit,
Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi:
Spatium quidem tandem apparandis nuptijs,
Vocandi, sacrificandi dabitur paullulum:
Interea amici, quod polliciti sunt, dabunt:
Inde istis reddet · AN· quamobrem? aut quid dicet? GE· rogas?
Quot res? postilla monstra euenerunt mihi:
Introijt in edes ater alienus canis ·
Anguis per impluuium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus,
Haruspex uetuit ante brumam aliquid noui
Negoti incipere; quae caussa est iustissima ·
Haec fient· AN· ut modo fiant· GE· fient: me uide·
Pater exit: abi, dic, esse argentum, Phaedriae·

DEMIPHO · GETA · CHREMES

VIETVS *esto inquam: ego curabo, nequid uerborum duint.*

Hoc temere nũquam amittam ego a me, quin mihi testes adhibeam,

Cum dem: &, quamobrem dem, commemorabo. GE· *ut cautus est, ubi nil opust.*

CH· *Atqui ita opus est facto: at natura, dum lubido eadem haec manet:*

Nam, si altera illa magis instabit, forsitan nos reijciat.

DE· *Rem ipsam putasti.* DE· *duc me ad eum ergo.* GE· *non moror.* CH· *ubi hoc egeris,*

Transito ad uxorem meam, ut cõueniat hãc prius, quam hinc abit.

Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne suscenseat,

Et magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior;

Nos nostro officio nihil egressos esse; quantum is uoluerit,

Datum esse dotis. DE· *quid, malum, tua id refert?* CH· *magni, Demipho.*

DE· *Non sat, tuum officium te fecisse, si non id fama approbat?*

CH· *Volo ipsius quoque uoluntate hoc fieri, ne se eiectam putet.*

DE· *Idem ego istuc facere possum.* CH· *mulier mulieri magis congruet.*

DE· *Ro-*

DE· Rogabo· CH· *ubi nunc illas ego reperire possim, cogito·*

ACTVS · V · SCENA · I

SOPHRONA · CRHEMES

QVID *agam? quem amicum inueniam mihi, misera? aut cui consilia*
Haec referam? aut unde nunc mihi auxilium petam? nam uereor,
Hera ne ob meum suasum indigne iniuria afficiatur:
Ita patrem adolescentis facta haec tolerare audio uiolenter·
CH· *Nã, quae haec est anus exanimata, a fratre quae egressa est meo?*
SO· *Quod ut facerem, me egestas impulit; cum scirem infirmas*
Hasce esse nuptias; ut id consulerem, interea uita
Vt in tuto foret· CH· *certe edepol, nisi me animus fallit,*
Aut parum oculi prospiciunt, meae nutricem gnatae uideo·
SO· *Neque ille inuestigatur·* CH· *quid agam?* SO· *qui est eius pater·* CH· *adeon,*
An maneo, dum ea, quae loquitur, magis cognosco? SO· *quod si eum nunc*
Reperire possim, nihil est, quod uerear· CH· *ea ipsa est· colloquar·*

SO· Quis

SO. Quis hic loquitur? CH. Sophrona. SO. & meum nomen nominat? CH. ad me respice.
SO. Dij, obsecro uos: est ne hic Stilpho? CH. non. SO. negas?
CH. Concede hinc paullulum a foribus istorsum sodes, Sophrona.
Ne me istoc posthac nomine appellassis. SO. quid? non is obsecro es,
Quem semper te esse dictitasti? CH. st. SO. quid has metuis fores?
CH. Conclusam hic habeo uxorem saeuam: uerum istoc de nomine
Eo perperam olim dixi, ne uos forte imprudentes foris
Effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea resci-sceret.
SO. Hem istoc pol nos te hic inuenire miserae num-quam potuimus.
CH. Eho, dic mihi, quid tibi rei est cum familia hac, unde exis? aut ubi
Illae sunt? SO. miseram me. CH. hem, quid est? ui uunt ne? SO. uiuit gnata.
Matrem ipsam ex aegritudine miseram mors con-secuta est.
CH. Male factum. SO. ego autem, quae essem anus deserta, egens, ignota,
Vt potui, uirginem nuptum locaui huic adole-scenti,
Harum qui est dominus edium. CH. Antiphoni ne? SO. hem, isti ipsi. CH. quid?

Duas ne is uxores habet? SO· *au, obſecro, unam il*
le quidem hanc ſolam ·
CH· *Quid illa altera, quae dicitur cognata?* SO·*haec*
ergo eſt· CH· *quid ais?*
SO· *Compoſito eſt factum, quo modo hanc amans ha-*
bere poſſet
Sine dote· CH· *dij, uoſtram fidem, quam ſaepe for*
te temere
Eueniunt, quae non audeas optare · offendi adue-
niens,
Qui cum uolebam, atque ut uolebam, collocatam
filiam ·
Quod nos ambo opere maxumo dabamus operam,
ut fieret,
Sine noſtra cura maxuma, ſua cura haec ſola fecit ·
SO· *Nunc quid facto ſit opus, uide · pater adoleſcen-*
tis uenit,
Eumq· animo iniquo hoc opido ferre aiunt · CH·
nihil pericli eſt ·
Sed, per deos atque homines, meam eſſe hanc, caue
reſciſcat quiſquam ·
SO· *Nemo ex me ſcibit·* CH· *ſequere me· intus cetera*
audies ·

ACTVS · V · SCENA · II

DEMIPHO · GETA

N OSTRAPTE *culpa facimus, ut malos ex-*
pediat eſſe,
Dum nimium dici nos bonos ſtudemus &
beni-

benignos.
Ita fugias, ne praeter casam, aiunt. non ne id satis erat,
Accipere ab illo iniuriam? etiam argentum est ultro obiectum,
Vt sit qui uiuat, dum aliquid aliud flagitij conficiat.
GE. Planissime. DE. ijs nunc praemium est, qui recta praua faciunt.
GE. Verissime. DE. ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
GE. Modo ut hoc consilio posset discedi, ut istā ducat.
DE. Etiam ne id dubium est? GE. haud scio hercle, ut homo est, an mutet animum.
DE. Hem, mutet autem? GE. nescio: uerum, si forte, dico.
DE. Ita faciam, frater censuit; uxorem huc eius adducam,
Cum ista ut loquatur. abi tu, Geta: praenuncia hāc uenturam.
GE. Argentum inuentum est Phaedriae: de iurgio siletur:
Prouisum est, ne in praesentia haec hinc abeat: quid nunc porro?
Quid fiet? in eodem luto haesitas: uorsuram solues,
Geta: praesens quod fuerat malum, in diem abijt: plagae crescunt,
Nisi prospicis. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,

Ne

Ne quid uereatur Phormionem, aut eius orationem.

ACTVS · V · SCENA · III

DEMIPHO · NAVSISTRATA
CHREMES

AGEDVM ut soles, Nausistrata, fac, illa ut placetur nobis;
Vt, sua uoluntate, id quod est faciundũ, faciat. NA. faciam.
DE. Pariter nunc opera me adiuues, ac dudum re opitulata es.
NA. Factum uolo: ac pol queo minus uiri culpa, quã me dignum est.
DE. Quid autem? NA. quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his praedijs talenta argenti bina
Capiebat statim. hem, uir uiro quid praestat. DE. bina, quaeso?
NA. Ac rebus uilioribus multo, tamen talenta bina. DE. hui.
NA. Quid haec uidentur? DE. scilicet. NA. uirum me natam uellem:
Ego ostenderem. DE. certe scio. NA. quo pacto. DE. parce, sodes,
Vt possis cum illa; ne te adolescens mulier defatiget.
NA. Faciam, ut iubes: sed meum uirum abs te exire uideo.

deo. CH. hem, Demipho,

Iam illi datum eſt argentum? DE. curaui illico.
CH. nollem datum.

Hei, uideo uxorem: paene plus, quam ſat erat.
DE. cur nolles, Chreme?

CH. Iam recte. DE. quid tu? ecquid locutus cum iſta
es, quamobrem hanc ducimus?

CH. Tranſegi. DE. quid ait tandem? CH. adduci non
poteſt. DE. quid, non poteſt?

CH. Quia uterque utrique eſt cordi. DE. quid iſtuc no
ſtra? CH. magni. praeter haec,

Cognatam comperi eſſe nobis. DE. quid? deliras?
CH. ſic erit:

Non temere dico: redi mecum in memoriam. CH.
ſatine ſanus es?

NA. Au, obſecro uide, ne in cognatam pecces. DE. nõ
eſt. CH. ne nega:

Patris nomen aliud dictum eſt: hoc tu errasti. DE.
non norat patrem?

CH. Norat. DE. cur aliud dixit? CH. numquam ho-
die concedes mihi, neque

Intelliges? DE. ſi tu nil narres. CH. pergis? NA.
miror, quid hoc ſiet.

DE. Equidem hercle neſcio. CH. uin ſcire? at, ita me
ſeruet Iuppiter,

Vt propior illi, quam ego ſum, ac tu, nemo eſt ho-
mo. DE. dÿ, uoſtram fidem:

Eamus ad ipſam una omnes nos: aut ſcire, aut ne-
ſcire hoc uolo. CH. ah.

DE. Quid eſt? CH. ita ne paruam mihi fidẽ eſſe apud
te?

te? DE · uin me credere?
Vin ſatis quaeſitum mihi iſtuc eſſe? age, fiat · quid illa filia
Amici noſtri, quid futurum eſt? CH · recte · DE · hanc igitur mittimus?
CH · Quid ni? DE · illa maneat? CH · ſic · DE · ire igitur tibi licet, Nauſiſtrata ·
NA · Sic pol commodius eſſe in omnes arbitror, quam ut coeperas,
Manere hanc; nam perliberalis uiſa eſt, cum uidi, mihi ·
DE · Quid iſtuc negotij eſt? CH · iam ne operuit oſtiũ? DE · iam · CH · o Iuppiter,
Dij nos reſpiciunt: gnatam inueni nuptam cũ tuo filio · DE · hem,
Quo pacto id potuit? CH · non ſatis tutus eſt ad narrandum hic locus ·
DE · At tu intro abi · CH · heus, ne filij noſtri quidem hoc reſciſcant, uolo ·

ACTVS · V · SCENA · IV

ANTIPHO

LAETVS ſum, ut ut meae res ſeſe habent, fratri obtigiſſe quod u olt ·
Quam ſcitum eſt, eiuſmodi parare in animo cupiditates,
Quas, cũ res aduerſae ſient, paullo mederi poſſis?
Hic ſimul argentum repperit, cura ſeſe expediuit:

Ego

Ego nullo poßũ remedio me euoluere ex his turbis,
Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro sim.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi esset spes ostenta
Huiusce habendae. sed ubinam Getam inuenire possum, ut
Rogem, quod tempus conueniendi patris me capere iubeat?

ACTVS. V. SCENA. V

PHORMIO. ANTIPHO

ARGENTVM accepi, tradidi lenoni, abduxi mulierem:
Curaui, propria ea Phaedria ut poteretur: nam emissa est manu:
Nunc una res mihi etiam restat, quae est conficiunda, otium
A senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos summam dies.
AN. Sed Phormio est: quid ais? PH. quid? AN. quidnam nunc facturus, Phaedria?
Quo pacto satietatem amoris ait se uelle sumere?
PH. Vicissim partes tuas acturus est. AN. quas? PH. ut fugitet patrem:
Tu suas rogauit rursum ut ageres: caussam ut pro se diceres:
Nam potaturus est apud me. ego me ire senibus Sunium

Dicam

Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, quã dudum dixit Geta;
Ne, cum hic non uideant me, conficere credant argentum suum.
Sed ostium concrepuit abs te. AN · *uide, quis egreditur.* PH · *Geta est.*

ACTVS · V · SCENA · VI

GETA · ANTIPHO · PHORMIO

O FORTVNA, *o fors fortuna, quantis commoditatibus*
Quam subito hero meo Antiphoni ope uestra hunc onerastis diem?
AN · *Quidnam hic sibi uolt?* GE · *nosq. amicos eius exonerastis metu?*
Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hũc onero pallio;
Atque hominem propero inuenire, ut haec, quae contigerint, sciat?
AN · *Num tu intellegis, quid hic narret?* PH · *num tu?* AN · *nil.* PH · *tantundem ego.*
GE · *Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt.* AN · *heus, Geta.* GE · *hem tibi.*
Num mirum, aut nouum est, reuocari, cursum cum institueris? AN · *Geta.*
GE · *Pergit: hercle numquam tu tuo odio uinces me.* AN · *non manes?*
GE · *Vapulabis. curialis uernula est, qui me uocat.*
AN · *Id tibi quidem iam fiet, nisi resistis, uerbero.*

GE. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitat malum:
Sed is ne est, quem quaero, an non? ipsust. PH. congredere actutum. AN. quid est?
GE. O omnium, quantum est, qui uiuant, homo ornatissime,
Nam sine controuersia a dijs solus diligere, Antipho.
AN. Ita uelim: sed, qui istuc credam ita esse, mihi dici uelim.
GE. Satin est, si te delibutum gaudio reddo? AN. enicas.
PH. Quin tu hinc pollicitationes aufer, &, quod fers, cedo. GE. oh,
Tu quoque hic aderas, Phormio? PH. aderam: sed cessas? GE. accipe, hem.
Vt modo argentum dedimus tibi apud forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit herus me ad uxorem tuam.
AN. Quamobrem? GE. omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem est Antipho.
Vbi in gynaeceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Pone apprehendit pallio, resupinat: respicio; rogo,
Quamobrem retineat me: ait esse uetitum intro ad heram accedere:
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumq. nunc esse intus cum illis. hoc ubi ego audiui,

ui, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi: accessi: adstiti:
Animam compressi: aurem admoui: ita animum coepi attendere,
Hoc modo sermonem captans. AN. euge, Geta. GE. hic pulcherrimum
Facinus audiui: itaque paene hercle exclamaui gaudio.
PH. Quod? GE. quodnam arbitrare? AN. nescio. GE. atqui mirificissimum:
Patruus tuus est pater inuentus Phanio uxori tuae. AN. hem,
Quid ais? GE. cum eius olim consueuit matre in Lemno clamculum.
PH. Somnium: utin haec ignoraret suum patrem? GE. aliquid credito,
Phormio, esse caussae: sed censen potuisse omnia
Intellegere extra ostium, intus quae inter sese ipsi egerint?
PH. Atque hercle ego quoque illam audiui fabulam. GE. immo etiam dabo,
Quo magis credas. patruus interea inde hic egreditur foras:
Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo.
Ait uterque tibi potestatē eius habendae se dare:
Denique ego sum missus, te ut requirerem, atque adducerem.
AN. Hem, quin ergo? rape me: cessas? GE. fecero.

AN· o mi Phormio,
Vale· PH· uale, Antipho: bene, ita me dij ament, factum: & gaudeo·
Tantam fortunam de improuiso esse his datam?
Summa eludendi occasio est mihi nunc senes,
Et Phaedriae curam adimere argentariam,
Ne cuiquam suorum aequalium supplex sit:
Nam idem hoc argẽtum ita ut datum est ingratijs,
Ei datum erit: hoc qui cogam, re ipsa repperi·
Nunc gestus mihi, uultusq· est capiundus nouus·
Sed hinc concedam in angiportũ hunc proximum:
Inde hisce ostendam me, ubi erunt egressi foras:
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo·

ACTVS · V · SCENA · VII

DEMIPHO · PHORMIO · CHREMES

DIIS magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quãdo euenere haec nobis frater prospere·
Quantum potest, nunc conueniendus Phormio est,
Priusquam dilapidet nostras triginta minas·
Vt auferamus· PH· Demiphonem, si domi est,
Visam: ut quod· DE· at nos ad te ibamus, Phormio·
PH· De eadem hac fortasse caussa? DE· ita hercle· PH· credidi·
Quid ad me ibatis? ridiculum: an uerebamini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus, quanta quãta haec mea paupertas est, tamẽ
Adhuc curaui unum hoc quidem, ut mi esset fides·

CH· *Est ne ea ita, ut dixi, liberalis?* DE· *opido*.
CH· *Itaque ad uos uenio nunciatum, Demipho,*
Paratum me esse: ubi uoltis, uxorem date.
Nam omnes posthabui mihi res, ita uti fuit,
Postquam, tantopere id uos uelle, animaduorteram.
DE· *At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem:*
Nam, qui rumor erit populi, inquit, si id feceris?
Olim, cum honeste potuit, tum non est data:
Nunc uiduam extrudi, turpe est: ferme eadem omnia,
Quae tute dudum coram me incusaueras.
PH· *Satin superbe illuditis me?* DE· *qui?* PH· *rogas?*
Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
Nam, quo redibo ore ad eam, quam contempserim?
CH· *Tum autem Autiphonem uideo ab sese amittere*
Inuitum eam, inque. DE· *tum autem uideo filium*
Inuitum sane mulierem ab se amittere.
Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
Argentum iube rursum rescribi, Phormio.
PH· *Quod? ne ego perscripsi porro illis, quibus debui.*
DE· *Quid igitur fiet?* PH· *si uis mihi uxorem dare,*
Quam despondisti, ducam: sin est, ut uelis
Manere apud te illam, hic dos maneat, Demipho:
Nam non est aequom me propter uos decipi;
Cum ego uestri honoris caussa repudium alterae
Remiserim, quae tantundem dotis dabat.
DE· *I hinc in malam rem cum istac magnificentia,*
Fugitiue: etiam credis te ignorarier,

Aut tua facta adeo? PH. *irritor.* DE. *tune hanc duceres,*
Si tibi daretur? PH. *fac periclum.* DE. *ut filius*
Cum illa habitet apud te, hoc uestrum consilium fuit.
PH. *Quaeso, quid narras?* DE. *quin tu mihi argentum cedo.*
PH. *Immo uero tu uxorem, cedo.* DE. *in ius ambula.*
PH. *In ius? enimuero, si porro esse odiosi pergitis.*
DE. *Quid facies?* PH. *ego ne? uos me indotatis modo*
Patrocinari fortasse arbitramini:
Etiam dotatis soleo. CH. *quid id nostra?* PH. *nihil.*
Hic quandam noram, cuius uir uxorem CH. *hem.* DE. *quid est?*
PH. *Lemni habuit aliam.* CH. *nullus sum.* PH. *ex qua filiam*
Suscepit: & eam clam educat. CH. *sepultus sum.*
PH. *Haec adeo ego illi iam denarrabo.* CH. *obsecro,*
Ne facias. PH. *oh, tun is eras?* DE. *ut ludos facit.*
CH. *Missum te facimus.* PH. *fabulae.* CH. *quid uis tibi?*
Argentum quod habes, cõdonamus te. PH. *audio:*
Quid uos, malum, ergo me sic ludificamini
Inepti uostra puerili sententia?
Nolo, uolo: uolo, nolo rursum: cedo, cape:
Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratũ, irritum est.
CH. *Quo pacto, aut unde haec hic resciuit?* DE. *nescio,*
Nisi, me dixisse nemini, id certo scio.

CH. *Mon-*

CH· Monſtri, ita me dij ament, ſimile· PH· inieci ſcrupulum· DE· hem,
Hicine ut a nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam aperte irridens? emori hercle ſatius eſt:
Animo uirili praeſentiq· ut ſis, para·
Vides tuum peccatum eſſe elatum foras,
Neque iam id celare poſſe te uxorem tuam:
Nunc quod ipſa ex alijs auditura ſit, Chreme,
Id noſmet indicare placabilius eſt·
Tum hunc impuratum poterimus noſtro modo
Vlciſci· PH· at at, niſi mihi proſpicio, haereo:
Hi gladiatorio animo ad me affectant uiam·
CH· At uereor, ut placari poſſit· DE· bono animo es:
Ego redigam uos in gratiam, hoc fretus, Chreme,
Cum e medio exceſſit, unde haec ſuſcepta eſt tibi·
PH: Ita ne mecum agitis? ſatis aſtute aggredimini:
Non hercle ex re iſtius me inſtigaſti, Demipho·
Ain tu? ubi peregre, tibi quod lubitum fuit, feceris,
Neque huius ſis ueritus feminae primariae,
Nouo modo ei quin faceres contumelias;
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hiſce ego illam dictis ita tibi incenſam dabo,
Vt ne reſtinguas, lacrumis ſi exſtillaueris·
DE· Malum, quod iſti dij, deaeq· omnes duint·
Tanta ne affectum hominem quemquam eſſe audacia?
Non hoc publicitus ſcelus hinc deportarier
In ſolas terras? CH· in id redactus ſum loci,

Vt nesciam prorsus, quid agam cum illo. DE. *ego scio:*
In ius eamus. PH. *in ius? huc, si quid lubet.*
DE. *Assequere, ac retine, dum huc ego seruos euoco.*
CH. *Enim solus nequeo: accurre huc.* PH. *una iniuria est*
Tecum. CH. *lege agito ergo.* PH. *altera est cum Chreme.*
DE. *Rape hunc.* PH. *ita ne agitis? enimuero uoce est opus.*
Nausistrata, exi. CH. *os opprime.* DE. *impurum uide,*
Quantum ualet. PH. *Nausistrata inquam.* CH. *non taces?*
PH. *Taceam?* DE. *ni sequitur, pugnos in uentrem ingere.*
PH. *Vel oculum exculpe: est, ubi uos ulciscar probe.*

ACTVS . V . SCENA . IIX

NAVSISTRATA . CHREMES
PHORMIO . DEMIPHO

NA. *QVI nominat me?* CH. *hem.* NA. *quid istuc turbae est obsecro,*
Mi uir? PH. *hem, quid nunc obstipuisti?* NA. *quis hic homo est?*
Non mihi respondes? PH. *hicine ut respondeat?*
Qui hercle, ubi sit, nescit. CH. *caue isti quidquam credas.*
PH. *Abi: tange: si non totus friget, me enica.*

CH. *Nihil*

CH· Nihil est· NA· quid ergo est? quid istic narrat? PH· iam scies:
Ausculta· CH· pergin credere? NA· quid ego obsecro
Huic credam, qui nil dixit? PH· delirat miser
Timore· NA· non pol temere est, quod tu iam times·
CH· Ego timeo? PH· recte sane: quando nihil times,
Et hoc nihil est, quod dico ego, tu narra· DE· scelus,
Tibi narret? PH· eho tu, factum est abs te sedulo
Pro fratre· NA· mi uir, non mihi narras? CH· at· NA· quid, at?
CH· Non opus est dicto· PH· tibi quidem: at scito huic opust·
In Lemno· CH· hem, quid ais? DE· non taces? PH· clam te· CH· hei mihi·
PH· Vxorem duxit· NA· mi homo, dij melius duint·
PH· Sic factum est· NA· perij, misera· PH· & inde filiam
Suscepit iam unam, dum tu dormis· CH· quid agimus?
NA· Pro dij immortales, facinus indignum, & malum·
PH· Hoc actum est· NA· an quidquam hodie est factum indignius?
Qui mi, ubi ad uxores uentum est, tum fiunt senes·
Demipho, te appello: nam me cum hoc ipso distaedet loqui·

Haecine

Haecine erant itiones crebrae, & mansiones diutinae
Lemni? haecine erat, quae nostros fructus minuebat, utilitas?
DE. Ego, Nausistrata, esse in hac re culpam meritam non nego,
Sed eam, quae sit ignoscenda. PH. uerba fiunt mortuo.
DE. Nã neque negligentia tua, neq. odio id fecit tuo.
Vinolentus fere ab hinc annos quindecim mulierculam
Eam compressit, unde haec nata est, neque postilla umquam attigit.
Ea mortem obijt: e medio abijt: qui fit in re hac scrupulus?
Quam ob rem te oro, ut alia facta tua sunt, aequo animo hoc feras.
NA. Quid ego aequo animo? cupio, misera, in hac re iam defungier.
Sed, quid sperem? aetate porro minus peccaturum putem?
Iam tum erat senex, senectus si uerecundos facit.
An mea forma, aeque aetas, nunc magis expetenda est, Demipho?
Quid mihi affers, quam ob rem exspectem, aut sperem porro non fore?
PH. Exsequias Chremeti, quibus commodum ire, hem tempus est.
Sic dabo: age age nunc Phormionem, qui uolet, lacessito:

Faxo

Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.
Redeat sane in gratiam: iam supplicij satis est mihi.
Habet haec, ei quod, dum uiuat, usque ad aurem obganniat.
NA· *At meo merito credo · quid ego nunc commemorem, Demipho,*
Sigillatim, qualis in istũ fuerim? DE· *noui aeque omnia*
Tecum · NA· *meriton meo hoc uidetur factum?* DE· *minime gentium:*
Verum, quando iam accusando infectum fieri non potest,
Ignosce: orat, confitetur, purgat: quod uis amplius?
PH· *Enimuero, prius quam haec dat ueniam, mihi prospiciam, & Phaedriae ·*
Heus, Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi · NA· *quid est?*
PH· *Ego minas triginta ab isto per fallaciam abstuli ·*
Eas dedi tuo gnato · is pro sua amica lenoni dedit ·
CH· *Hem, quid ais?* NA· *adeon indignum tibi uidetur, filius*
Homo adolescens unam si habet amicam: tu uxores duas?
Nil pudere? quo ore illum obiurgabis? responde mihi ·
DE· *Faciet, ut uoles ·* NA· *immo, ut iam scias meam sententiam,*

Neque

Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo,
Prius quam gnatum uideo: eius iudicio permitto omnia: is
Quod iubebit, faciam. PH· *mulier sapiens es, Nausistrata.*
NA· *Satin id est tibi?* PH· *immo uero pulchre discedo, & probe,*
Et praeter spem. NA· *tu tuum nomen dic quod est.* PH· *min? Phormio,*
Vestrae familiae hercle amicus, & tuo summus Phaedriae.
NA· *Phormio, at ego aecastor posthac tibi, quod potero, & quae uoles,*
Faciamque, & dicam. PH· *benigne dicis.* NA· *pol meritum est tuum.*
PH· *Vin primum hodie facere, quod ego gaudeã, Nausistrata,*
Et quod tuo uiro oculi doleant? NA· *cupio.* PH· *me ad cenam uoca.*
NA· *Pol uero uoco.* DE· *eamus intro hinc.* NA· *fiat: sed, ubi est Phaedria,*
Iudex noster? PH· *iam hic faxo aderit. Vos ualete, & plaudite.*

HECYRA
TERENTII

ACTA · LVDIS · ROMANIS

SEX·IVLIO.CAES·CN.CORN.DOLABELLA.AED.CVR.

NON · EST · PERACTA

MODOS . FECIT

FLACCVS · CLAVDI

TIBIIS · PARIB·

CN · OCTAVIO · T · MANLIO · COS·

RELATA · EST · ITERVM

LVDIS · FVNEBRIBVS

RELATA · EST · TERTIO

Q · FVLVIO · L · MARCIO · AED · CVR·

C. SVLPICII. APOLLINARIS PERIOCHA

VXOREM *duxit Pamphilus Philumenam,*
Cui quondam ignorans uirgini uitium obtulit:
Eiusq. per uim quem detraxit anulum,
Dederat amicae Bacchidi meretriculae:
Dein profectus in Imbrum est: nuptā haud attigit.
Hanc mater utero grauidam, ne id sciat socrus,
Vt aegram ad se transfert: reuertit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: uxorem tamen
Recipere non uolt. pater incusat Bacchidis
Amorem. dum se purgat Bacchis, anulum
Mater uitiatae forte agnoscit Myrrhina.
Vxorem recipit Pamphilus cum filio.

HECYRAE. PERSONAE

EARVMQ. INTERPRETATIO

SYRA, anus, Syriaci generis mulier.
PHILOTIS, meretrix, ἀπὸ τοῦ φιλῶτας, unde & Philotion. fieri poteſt, ut ſit in nomine aurium ſignificatio.
LACHES, ſenex, pag. 59.
SOSTRATA, mulier, pag. 123.
PAMPHILVS, adoleſcens, pag. 3.
PARMENO, ſeruus, pag. 59.
SOSIA, ſeruus, pag. 3.
BACCHIS, meretrix, pag. 123.
PHIDIPPVS, ſenex, a parcimonia equeſtri: eius enim ſtudij ut gloria erat ingens, ita magni ſumptus.
MYRRHINA, mulier, matronale nomen, a Myrto, qua magiſtratus quondam coronabantur.

Sequentium tantum hic mentio fit.

PHILOMENA, ἡ φιλουμένη, amabilis.
SCIRTVS, puer, ἀπὸ τοῦ σκιρτᾶν, a ſaltatione.

PROLOGVS

HECYRA est huic nomen fabulae. haec cum data
Est noua, nouum interuenit uitium, & calamitas,
Vt neque spectari, neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat. nunc haec plane est pro noua:
Et is, qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit uendere.
Alias cognostis eius: quaeso hanc noscite.

O RATOR ad uos uenio, ornatu prologi.
Sinite exorator sim, eodē ut iure uti senē
Liceat, quo iure sum usus adolescentior,
Nouas qui exactas feci ut inueterascerent,
Ne cum poeta scriptura euanesceret.
In his, quas primum Caecilij didici nouas,
Partim sum earum exactus, partim uix steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Nouas studiose, ne illum ab studio abducerem.
Perfeci, ut spectarentur. ubi sunt cognitae,
Placitae sunt. ita poetam restitui in locum,
Prope iam remotum iniuria aduorsarium
Ab studio, atque ab labore, atque ab arte musica. l. poetica.
Quod si scripturam spreuissem in praesentia, &
In deterrendo uoluissem operam sumere,
Vt in otio esset, potius quam in negotio:
Deterruissem facile, ne alias scriberet.
Nūc quid petā, mea caussa, aequo animo attēdite.
Hecyram ad uos refero, quam mihi per silentium
Nūquā agere licitū est, ita eā oppressit calamitas.
Eam calamitatem uestra intellegentia
Sedabit, si erit adiutrix nostrae industriae.
Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Funambuli eodem accessit exspectatio:
Comitum conuentus, studium, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras,
Vetere in noua coepi uti consuetudine,

In experiundo ut essem : refero denuo ;
Primo actu placeo : cum interea rumor uenit,
Datum iri gladiatores : populus conuolat :
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco :
Interea ego meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla est : otium, & silentium est :
Agendi tempus mihi datum est : uobis datur
Potestas condecorandi ludos scenicos.
Nolite sinere per uos artem musicam
Recidere ad paucos : facite, ut uestra auctoritas
Meae auctoritati fautrix, adiutrixq. sit.
Si numquam auare statui pretium arti meae,
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumū,
Quammaxume seruire uostris commodis :
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, & se in uostram commisit fidem,
Ne eum circumuentum inique iniqui irrideant.
Mea caussa caussam hanc accipite, & silentium
Date ; ut lubeat scribere alijs, mihiq. ut discere
Nouas expediat, posthac pretio emptas meo.

ACTVS

PHILOTIS · SYRA

P ER pol quam paucos reperias meretricibus
Fideles euenire amatores, Syra.
Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi,
Quam sancte, ut quiuis facile posset credere,
Numquam illa uiua ducturum uxorem domum:
Hem, duxit. SY. ergo propterea te sedulo
Et moneo, & hortor, ne cuiusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquẽ nacta sis.
PH. Vtin eximium neminem habeam? SY. neminem:
Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te uenit,
Quin ita paret sese, abs te ut blanditijs suis
Quamminimo pretio suam uoluptatem expleat,
Hiscine tu amabo non contra insidiabere?
PH. Tamen eandem pol esse omnibus, iniurium est.
SY. Iniurium est autem ulcisci aduorsarios?
Aut qua uia captent te illi, eadem ipsos capi?
Eheu, me miseram, cur non aut istaec mihi
Aetas & forma est, aut tibi haec sententia?

ACTVS · I · SCENA · II

PARMENO · PHILOTIS · SYRA

S ENEX si quaeret me, modo isse dicito
Ad portum, percunctatum aduentum Pamphili.
Audin, quid dicam, Scirte? si quaeret me, uti
Tum dicas; si non quaeret, nullus dixeris;

Alias ut uti poſſim cauſſa hac integra.
Sed uideon ego Philotium? unde haec aduenit?
Philotis, ſalue multum. PH. o ſalue, Parmeno.
SY. Salue mecaſtor, Parmeno. PA. & tu edepol, Syra.
Dic mihi, Philoti, ubi te oblectaſti tam diu?
PH. Minime me equidem oblectaui, quae cum milite
Corinthum hinc ſum profecta inhumaniſſimo:
Biennium ibi perpetuum miſera illum tuli.
PA. Edepol te deſiderium Athenarum arbitror
Philotium cepiſſe ſaepe, & te tuum
Conſilium contempſiſſe. PH. non dici poteſt,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
Vosq. hic uidendi, antiqua ut conſuetudine
Agitarem inter uos libere conuiuium:
Nam illi haud licebat niſi praefinito loqui
Quae illi placerent. PA. haud opinor commode
Finem ſtatuiſſe orationi militem.
PH. Sed quid hoc negoti eſt? modo quae narrauit mihi
Hic intus Bacchis? quid ego numquam credidi
Fore, ut ille hac uiua poſſet animum inducere
Vxorem habere. PA. habere, autem? PH. eho tu, an non habet?
PA. Habet, ſed firmae hae uereor ut ſint nuptiae.
PH. Ita dij deaeq. faxint, ſi in rem eſt Bacchidis.
Sed quid iſtuc credam ita eſſe? dic mihi, Parmeno.
PA. Non eſt opus prolato: hoc percunctarier
Deſiſte. PH. nempe ea cauſſa, ut ne id fiat palam.
Ita me di amabunt, haud propterea te rogo, ut

Hoc

Hoc proferam, sed tacita ut mecum gaudeam ·
PA · Numquam dices tam commode, ut tergum meum
Tuam in fidẽ committam · PH · ah noli, Parmeno :
Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, quae percunctor, scire · PA · uera haec praedicat ·
Et mi illud uitium maxumum est · si mihi fidem
Das te tacituram, dicam · PH · ad ingenium redis ·
Fidem do, loquere · PA · ausculta · PH · istic sum · PA · hanc Bacchidem
Amabat, ut cum maxume, tum Pamphilus,
Cum pater, uxorem ut ducat, orare occipit :
Et haec, communia omnium quae sunt patrum,
Senem se dicere esse, illum autem esse unicum
Praesidium uelle se senectuti suae ·
Ille primo se negare: sed, postquam acrius
Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
Pudorin, an ne amori obsequeretur magis ·
Tundendo, atque odio denique effecit senex :
Despondit gnatam ei huius uicini proxumi ·
Vsque illud uisum est Pamphilo neutiquam graue,
Donec iam in ipsis nuptijs · postquam uidet
Paratas, nec moram ullam, qui ducat, dari :
Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem,
Si adesset, credo ibi eius commiserescceret ·
Vbicumque datum erat spatium solitudinis,
Vt colloqui mecum una posset: Parmeno,
Perij, quid ego egi ? in quod me conieci malum ?
Non potero hoc ferre, Parmeno : perij, miser.

PH. At te dij deaeq. perduint cum isto odio, Laches.
PA. Ad pauca ut redeam, uxorem deducit domum:
Nocte illa prima uirginem non attigit:
Quae consecuta est nox, eam nihilo magis.
PH. Quid ais? cum uirgine una adolescens cubuerit,
Plus potus, illa se abstinere ut potuerit?
Non uerisimile dicis: nec uerum arbitror.
PA. Credo ita uideri tibi. nam nemo ad te uenit,
Nisi cupiens tui: ille inuitus illam duxerat.
PH. Quid deinde fit? PA. diebus sane pauculis
Post Pamphilus me solum seducit foras,
Narratque, ut uirgo a se integra etiam tum siet:
Seque ante, eam quam uxorem duxisset domum,
Sperasse eas tolerare posse nuptias.
Sed, quam decrerim me non posse diutius
Habere, eam ludibrio haberi, Parmeno,
Quin integram itidem reddam, ut accepi a suis,
Neque honestum mihi, neque utile ipsi uirgini est.
PH. Pium, ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PA. Hoc ego proferre, incommodũ esse mihi arbitror:
Reddi patri autem, cui tu nihil dicas uiti,
Superbum est: sed illam spero, ubi hoc cognouerit,
Non posse se mecum esse, abituram denique.
PH. Quid interea? ibat ne ad Bacchidem? PA. quotidie:
Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese uidet,
Maligna multo, & magis procax facta illico est.
PH. Non epol mirum. PA. atqui ea res multo maxume
Disiunxit illum ab illa, postquam & ipse se,

Et illam, & hanc, quae domi erat, cognouit satis,
Ad exemplum ambarum mores earum existumās.
Haec, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta, incommoda, atque iniurias
Viri omnes ferre, & tegere contumelias.
Hic animus partim uxoris misericordia
Deuictus, partim uictus huius iniuria,
Paullatim elapsust Bacchidi, atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.
Interea in Imbro moritur cognatus senex
Horunc. ea ad hos redibat lege hereditas.
Eo amantem inuitum Pamphilū extrudit pater.
Relinquit cum matre hic uxorem: nam senex
Rus abdidit se: huc raro in urbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?
PA. Nunc audies: primum dies complusculos
Bene conueniebat sane inter eas: interim
Miris modis odisse coepit Sostratam,
Neque lites ullae inter eas: postulatio
Numquam. PH. quid igitur? PH. si quando ad
eam accesserat
Confabulatum, fugere e conspectu illico,
Videre nolle. denique, ubi non quit pati,
Simulat se a matre accersi ad rem diuinam, abit.
Vbi illi est dies complures, accersi iubet.
Dixere caussam tunc nescio quam. iterum iubet.
Nemo remisit. postquam accersunt saepius,
Aegram esse simulant mulierem. nostra illico
It uisere ad eam: admisit nemo. hoc ubi senex
Resciuit, heri ea caussa rure aduenit huc,

Patrem continuo conuenit Philumenae.
Quid egerint inter se, non dum etiam scio.
Nisi sane curae est, quorsum euenturum hoc siet,
Habes omnem rem: pergam, quo coepi hoc iter.
PH. *Et quidem ego: nam constitui cum quodam hospite,*
Me esse illum conuenturam. PA. *dij uortant bene,*
Quod agas. PH. *uale.* PA. *& tu bene uale, Philotium.*

ACTVS. II. SCENA. I

LACHES. SOSTRATA

PRO *deum atque hominum fidē, quod hoc genus est, quae haec coniuratio?*
Vtin omnes mulieres eadem aeque studeant, nolintq. omnia?
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias:
Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus. uiris
Esse aduorsas, aeque studium est, similis est pertinacia.
In eodem omnes mihi uidentur ludo doctae ad malitiam: &
Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certo scio.
SO. *Me miseram, quae nunc, quamobrem accuser, nescio.* LA. *hem,*
Tu nescis? SO. *non, ita me dij bene ament, mi*

Laches,
Itaq· una inter nos agere aetatem liceat · LA · dij mala prohibeant ·
SO· Meq· abs te immerito esse accusatum, post modo rescisces· LA · scio·
Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest,
Quae me, & te, & familiam dedecoras, filio luctum paras?
Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis affines, facis;
Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent·
Tu sola exorere, quae perturbes haec tua impudentia ·
SO· Ego ne? LA · tu inquam, mulier, quae omnino lapidem, haud hominem, putas ·
An, qnia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini,
Quo quisque pacto hic uitam uostrarum exigat?
Multo melius, hic quae fiunt, quam illi, ubi sum assidue, scio:
Ideo quia, uti uos mihi domi eritis, proinde ego ero foris ·
Iampridem equidem audiui cepisse odium tui Philumenam:
Minimeq· adeo mirum: &, ni id fecisset, magis mirum foret ·
Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum:

Quod

Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isses foras.
At uide, quam immerito aegritudo haec oritur mi abs te, Sostrata.
Rus habitatum abij, concedens uobis, & rei seruiens,
Sumptus uestros, otiumque ut nostra res posset pati,
Meo labori haud parcens, praeter aequom atque aetatem meam.
Non te pro his curasse rebus, ne quid aegre esset mihi?
SO. *Non mea opera, neque pol culpa euenit.* LA. *immo maxume.*
Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostrata.
Quae hic erant, curares; cum ego uos solui curis ceteris.
Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet;
Illius dices culpa factum. SO. *haud equidem dico, mi Laches.*
LA. *Gaudeo (ita me dij ament) gnati caussa: nam de te quidem,*
Satis scio, peccando detrimenti nil fieri potest.
SO. *Qui scis, an ea caussa, mi uir, me odisse assimulauerit,*
Vt cum matre una plus esset? LA. *quid ais? non signi hoc sat est,*
Quod heri nemo uoluit uisentem te ad eam intromittere?

SO. *Enim*

SO· *Enim lassam opido tum aiebant: eo ad eam non admissa sum.*

LA· *Tuos esse illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem, arbitror:*
Et merito adeo: nam uostrarum nulla est, quin gnatum uelit
Ducere uxorem; & , quae uobis placita condicio est, datur:
Vbi duxere impulsu uostro, uostro impulsu easdem exigunt.

ACTVS · II · SCENA · II

PHIDIPPVS · LACHES · SOSTRATA

ETSI *scio, Philumena, meum ius esse, ut te cogam,*
Quae ego imperem, facere: ego tamen patrio animo uictus faciam
Vt tibi concedam, neque tuae libidini aduorsabor.

LA· *Atque eccum Phidippum optume uideo: ex hoc iam scibo, quid sit.*
Phidippe, esse ego meis omnibus scio me apprime obsequentem:
Sed non adeo, ut facilitas mea illorum corrumpat animos.
Quod si tu idem faceres, magis in rem & nostram, & uostram id esset.
Nunc uideo in illarum potestate esse te. PH· *eia uero.*

LA· *Adij*

LA· Adij te heri de filia: ut ueni, itidem incertum amisti.
Haud ita decet, si perpetuam uis esse affinitatem hanc,
Celare te iras. si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea, refellendo, aut purgando uobis, corrigemus,
Te iudice ipso. sin ea est caussa retinẽdi apud uos,
Quia aegra est: te mi iniuriam facere arbitror, Phidippe.
Si metuis, satis ut meae domi curetur diligenter.
At, ita me dij ament, haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,
Vt tu illam saluam magis uelis, quam ego: id adeo gnati caussa,
Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum, magnificare,
Neque adeo me clam est, quam esse eum grauiter laturum credam,
Hoc si rescierit. eo domum, studeo haec prius, quã ille ut redeat.
PH· Laches, & diligentiam uestram, & benignitatem
Noui: &, quae dicis, omnia esse ut dicis, animum induco:
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad uos redire studeo,
Si facere possim ullo modo. LA· quae res te facere id prohibet?

Eho,

Eho, numquidnam accusat uirum? PH· *minime: nam, postquam attendi*
Magis, & ui coepi cogere ut rediret, sancte adiurat
Non posse apud uos Pamphilo se absente perdurare.
Aliud fortasse aliis uitii est: leni ego animo sum natus:
Non possum aduorsari meis. LA· *hem, Sostrata.* SO· *heu me miseram.*
LA· *Certum est istuc?* PH· *nunc quidem, ut uidetur: sed numquid uis?*
Nam est, quod me transire ad forum iam oporteat. LA· *eo tecum una.*

ACTVS · II · SCENA · III

SOSTRATA

EDEPOL *ne nos aeque sumus omnes inuisae uiris,*
Propter paucas; quae omnes faciunt dignae ut uideamur malo.
Nam, ita me ament di, quod me accusat nunc uir, sum extra noxiam.
Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus
Omnes esse iniquas. haud pol me equidem: nam numquam secus
Habui illam, ac si ex me esset nata: nec, qui hoc mi eueniat, scio.

Nisi pol filium multimodis iam exſpecto ut redeat domum.

ACTVS · III · SCENA · I

PAMPHILVS · PARMENO · MYRRHINA

NEMINI ego plura acerba eſſe ex amore homini umquam oblata credo,
Quam mi. heu, me infelicem, hancine ego uitam parſi perdere?
Hacine ego cauſſa eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quanto fuerat praeſtabilius, ubiuis gentium aetatem agere,
Quam huc redire? atque, haec ita eſſe, miſerũ me reſciſcere?
Nam nos omnes, quibus alicunde aliquis obiectus eſt labos,
Omne quod eſt interea tempus, prius quam id reſcitum eſt, lucro eſt.

PAR. At ſic, citius qui te expedias his aerumnis, reperies.
Si non rediiſſes, hae irae factae eſſent multo ampliores:
Sed nunc aduentum tuum ambas, Pamphile, ſcio reuerituras.
Rem cognoſces, iram expedies: reſtitues rurſum in gratiam.
Leuia ſunt haec, quae tu pergrauia eſſe in animum induxti tuum.

PAM. Quid

PAM· *Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est aeque miser?*
Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:
Iam in hac re ut taceam, cuiuis facile scitu est, quã fuerim miser:
Tamen numquam ausus sum recusare eam, quam mi obtrudit pater.
Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expediui animum meum:
Vixq. huc contuleram, hem noua res orta est, porro ab hac quae me abstrahat.
Tum matrem ex ea re me, aut uxorem in culpa inuenturum arbitror:
Quod cum ita esse inuenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser?
Nam matris ferre iniurias me, Parmeno, pietas iubet:
Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit,
Tot meas iniurias quae numquam in ullo patefecit loco.
Sed magnum nescio quid necesse est euenisse, Parmeno,
Vnde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu.
PAR· *Hoc quidem hercle paruum est: si uis uero ueram rationem exsequi,*
Non maxumas, quae maxumae sunt interdũ irae, iniurias

Faciunt:

Faciunt : nam ſaepe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt,
Cum de eadem cauſſa eſt iracundus factus inimiciſſimus.
Pueri inter ſeſe quam pro leuibus noxijs iras gerunt?
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem mulieres ſunt ferme, ut pueri, leui ſententia:
Fortaſſe unum aliquod uerbum hāc inter eas iram concitauerit.
PAM. *Abi, Parmeno, intro, ac, me ueniſſe, nuncia.* PAR. *hem, quid hoc?* PAM. *tace.*
Trepidari ſentio, curſari rurſum prorſum. PAR. *agedum, ad fores*
Accede propius. hem, ſenſiſtin? PAM. *noli fabularier.*
Pro Iuppiter, audio clamorem. PAR. *tute loqueris, me uetas?*
M. *Tace, obſecro, mea gnata.* PAM. *matris uox uiſa eſt Philumenae.*
Nullus ſum. PAR. *qui dū?* PAM. *perij.* PAR. *quā obrem.* PAM. *neſcio quod magnum malum*
Profecto, Parmeno, me celas. PAR. *uxorem Philumenam*
Pauitare neſcio quid, dixerunt : id ſi forte eſt, neſcio.
PAM. *Interij : cur mihi id non dixti?* PAR. *quia non poteram una omnia.*

PAM. *Quid*

PAM· Quid morbi eſt? PAR· neſcio· PAM· quid? nemo ne medicum adduxit? PAR· neſcio·

PAM· Ceſſo hinc ire intro, ut hoc quamprimum, quid quid eſt, certe ſciam?

Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?

Nam, ſi periculum ullum in te eſt, periiſſe me una, haud dubium eſt·

PAR· Non uſus facto eſt mihi nunc, hunc intro ſequi·

Nam inuiſos omnes nos eſſe illis ſentio:

Here nemo uoluit Soſtratam intro admittere·

Si forte morbus amplior factus ſiet,

Quod ſane nolim, maxume heri cauſſa mei:

Seruom illico introiiſſe dicent Soſtratae,

Aliquid tuliſſe comminiſcentur mali·

Capiti, atque aetati illorũ morbus qui auctus ſit·

Hera in crimen ueniet, ego in magnum malum·

ACTVS · III · SCENA · II

SOSTRATA · PARMENO · PAMPHILVS

NESCIO quid iamdudum hic audio tumultuari, miſera:

Male metuo, ne Philumenae magis morbus aggraueſcat:

Quod te, Aeſculapi, & te, Salus, ne quid ſit huius, oro·

Nunc ad eam uiſam· PAR· heus, Soſtrata· SO· ehem· PAR· iterum iſtinc excludere·

SO· Ehem, Parmeno, tu ne hic eras? perii, quid faciam,

ciam, misera?
Non uisam uxorem Pamphili, cum in proxumo hic sit aegra?
PAR. Non uisas, ne mittas quidem uisendi caussa quemquam.
Nam, qui amat cui odio ipsus est, bis facere stulte duco:
Laborem inanem ipsus capit, et illi molestiã affert.
Tum autem filius tuus introijt uidere, ut uenit, quid agat.
SO. Quid ais? an uenit Pamphilus? PAR. uenit. SO. dijs gratiam habeo:
Hem istoc uerbo animus mihi redijt, & cura ex corde excessit.
PAR. Iam ea te caussa maxume huc nũc introire nolo:
Nam, si remittent quippiam Philumenã dolores,
Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
Quae inter uos interuenit, unde ortum est initium irae.
Atque eccum uideo ipsum egredi: quam tristis est. SO. o mi gnate.
PAM. Mea mater, salue. SO. gaudeo uenisse saluom. saluan
Philumena est? PAM. meliuscula est. SO. utinam istuc ita dij faxint.
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam tristis? PAM. recte, mater,
SO. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente inuasit?
PAM. Ita factum est. SO. quid morbi est? PAM. febris.

bris· SO· *quotidiana?* PAM· *ita aiunt*·
I ſodes intro, conſequar iam te, mea mater· S· *fiat*·
PAM· *Tu pueris curre, Parmeno, obuiam, atque eis onera adiuta*·
PAR· *Quid? non ſciunt ipſi uiam, domũ qua redeant?*
PAM· *ceſſas?*

ACTVS · III · SCENA · III

PAMPHILVS

NEQVEO *mearum rerum initium ullum inuenire idoneum,*
Vnde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt,
Partim quae perſpexi his oculis, partim quae accepi auribus:
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam, modo me intro ut corripui timidus, alio ſuſpicans
Morbo me uiſurum affectam, ac ſenſi eſſe uxorem: hei mihi,
Poſtquam me adſpexere ancillae aduenisse, illico omnes ſimul
Laetae exclamant, uenit, id quod me repente adſpexerant.
Sed cõtinuo uoltum earum ſenſi immutari omniũ,
Quia tam incommode illis fors obtulerat aduentum meum.
Forte una illarum interea propere praecurrit, nuncians,

Me uenisse: ego, eius uidendi cupidus, recta conse
quor.
Posteaquam introij, extemplo eius morbum cog-
noui, miser.
Nam neque, ut celari posset, tempus spatium ul-
lum dabat;
Neque uoce alia, ac res monebat, ipsa poterat con
queri.
Postquam adspexi, o facinus indignum, inquam: et
corripui illico
Me inde, lacrumans, incredibili re, atque atroci
percitus.
Mater consequitur: iam ut limen exirem, ad ge-
nua accidit,
Lacrumans, misera. miseritum est. profecto hoc sic
est, ut puto;
Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni, atque
humiles, sumus.
Hãc habere orationem mecum a principio institit:
O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit,
caussam uides:
Nam uitium est oblatum uirgini olim ab nescio
quo improbo:
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut cela-
ret suum.
Sed, cum orata eius reminiscor, nequeo, quin lacru
mem, miser.
Quaeq. fors fortuna est, inquit, nobis quae te hodie
obtulit,
Per eam te obsecramus ambae, si ius, si fas est, ut:

Aduorsa eius per te tecta tacitaq· apud omnes siēt:
Si umquam erga te animo esse amico sensti eam, mi Pamphile,
Sine labore hanc gratiam, te uti sibi des pro illa nunc, rogat:
Ceterum de reducenda id fac, quod in rem sit tuam.
Parturire eam, neque grauidam esse ex te, solus conscius:
Nam aiunt, tecum post duobus concubuisse eam mēsibus:
Tum, postquam ad te uenit, mensis hic agitur iam septimus:
Quod te scire, ipsa indicat res. nunc, si potis est, Pamphile,
Maxume uolo, doq· operam, aut clam partus eueniat patrem,
Atque adeo omnes. sed, si fieri id non potest, quin sentiant,
Dicā abortū esse. scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod uerisimile est, ex te recte eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nihil est quidquam incommodi: &
Illi miserae indigne factam iniuriam contexeris.
Pollicitus sum, & seruare in eo certum est, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id uero neutiquam honestum esse arbitror.
Nec faciam: etsi amor me grauiter, consuetudoq· tenet.

Lacrumo, quae posthac futura est uita, cum in mentem uenit,
Solitudoque· o fortuna, ut nūquā perpetuo es bona.
Sed iam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit.
Quem ego consilio missum feci, idem nunc operam huic dabo.
Adest Parmeno cum pueris: hunc minime est opus
In hac re adesse: nam olim soli credidi,
Ea me abstinuisse in principio, cum data est:
Vereor, si clamorem eius hic crebro exaudiat;
Ne parturire eam intellegat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

ACTVS · III · SCENA · IV

PARMENO · SOSIA · PAMPHILVS

IN tu tibi hoc incōmodum euenisse iter?
SO. A Non hercle, Parmeno, uerbis dici potest
Tantum, quam re ipsa nauigare incommodum est.
PAR. Ita ne est? SO· o fortunate, nescis, quid mali
Praeterieris, qui numquam es ingressus mare.
Nam, alias ut omittam miserias, unam hāc uide:
Dies triginta, aut plus eo, in naui fui,
Cum interea semper mortem exspectabam, miser:
Ita usque aduorsa tempestate usi sumus.
PAR· Odiosum. SO· haud clam me est: denique hercle aufugerim
Potius, quam redeam, si eo mi redeundum sciam.

PAR. Olim

PAR· Olim quidem te caussae impellebant leues,
Quod nunc minitare facere, ut faceres, Sosia.
Sed Pamphilum ipsum uideo stare ante ostium:
Ite intro: ego hunc adibo, si quid uelit.
Here, etiam nunc tu hic stas? PAM· equidem te ex
specto. PAR· quid est?
PAM· In arcem transcurso opus est. PAR· cui homini?
PAM· tibi.
PAR· In arcem? quid eo. PAM· Callidemidem hospitē
Myconium, qui mecum una aduectust, conueni.
PAR· Perij: uouisse hunc dicam, si saluus domum
Redijsset umquam, ut me ambulando rumperet.
PAM· Quid cessas? PAR· quid uis dicam? an conue-
niam modo?
PAM· Immo, quod constitui me hodie conuentūrū eū,
Non posse, ne me frustra illi exspectet: uola.
PAR· At non noui hominis faciem. PAM· at faciam,
ut noueris:
Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius.
PAR· Cadauerosa facies. dij illum perduint.
Quid, si non ueniet? maneam ne usque ad uesperū?
PAM· Maneto: curre. PAR· nō queo: ita defessus sum.
PAM· Ille abijt. quid agam, infelix? prorsus nescio
Quo pacto hoc celem, quod me orauit Murrhina,
Suae gnatae partum: nam me miseret mulieris:
Quod potero, faciam; tamen, ut pietatem colam:
Nam me parenti potius, quam amori, obsequi
Oportet. at at at eccum Phidippum, & patrem
Video: horsum pergunt. quid dicam hisce, incer-
tus sum.

LACHES · PHIDIPPVS · PAMPHILVS

DIXTIN dudum, dixisse illam, se exspectare filium?

PH. Factum. LA. uenisse, aiunt: redeat. PAM. quam caussam dicam patri,

Quamobrem non reducam, nescio. LA. quem ego hic audiui loqui?

PAM. Certum obfirmare est uiam me, quam decreui persequi.

LA. Ipsus est, de quo hoc agebam tecum. PAM. salue, mi pater.

LA. Gnate mi, salue. PH. bene factum, te aduenisse, Pamphile,

Atque adeo, quod maxumum est, saluum, atque ualidum. PAM. creditur.

LA. Aduenis modo? PAM. admodum. LA. cedo, quid reliquit Phania,

Consobrinus noster? PH. sane hercle homo uoluptati obsequens

Fuit, dum uixit: &, qui sic sunt, haud multum heredem adiuuant.

Sibi uero hanc laudem relinquunt: Vixit, dum uixit, bene.

LA. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?

PAM. Quidquid est id quod reliquit, profuit. LA. immo obfuit:

Nam illum uiuom & saluom uellem. PH. impune optare istuc licet.

Ille

Ille reuiuiscet iam numquam: & tamen, utrum malis, scio.

LA· Heri Philumenam ad se accersi hic iussit. dic iussisse te.

PH· Noli fodere. iussi. LA· sed iam eam remittet. PH· scilicet.

PAM· Omnem rem scio, ut sit gesta: aduenien s audiui omnia. LA· at
Istos inuidos dij perdant, qui haec libenter nunciant.

PAM· Ego me scio cauisse, ne ulla merito contumelia
Fieri a nobis posset: idq· si nũc memorare hic uelim,
Quam fideli animo & benigno in illam & clementi fui,
Vere possim; ni te ex ipsa id magis uelim resciscere:
Namque eo pacto maxume apud te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quae nunc in me iniqua est, aequa de me dixerit.
Neq· culpa hoc mea euenisse dissidiũ, id testor deos.
Sed quãdo sese esse indignam deputat matri meae,
Cui concedat, cuius mores toleret sua modestia;
Neque alio pacto potest componi inter eas gratia:
Segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena:
Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.

LA· Pamphile, ad aures haud inuito sermo mihi accessit tuus,
Cũ te post putasse omnes res prae parẽte intellego.

Verũ uide, ne impulſus ira praue inſiſtas, Pãphile.
PAM. Quibus iris nunc in illã impulſus iniquus ſim?
Quae nũquã quidquam erga me cõmerita eſt pater,
Quod nollem: & ſaepe, quod uellem, meritam ſcio:
Amoque, & laudo, & uehementer deſidero:
Nam fuiſſe erga me miro ingenio, expertus ſum:
Illiq. exopto, ut relliquam uitam exigat
Cum eo uiro, me qui ſit fortunatior:
Quandoquidem illam a me diſtrahit neceſſitas.
PH. Tibi id in manu eſt, ne fiat. LA. ſi ſanus ſies,
Iube illam redire. PAM. non eſt conſilium, pater:
Matris ſeruibo commodis. LA. quo abis? mane,
Mane inquam: quo uadis? PH. quae haec pertinacia eſt?
LA. Dixin Phidippe hanc rem aegre laturum eſſe eũ?
Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.
PH. Non credidi edepol adeo inhumanum fore:
Ita nunc is ſibi me ſupplicaturum putat?
Si eſt, ut uelit reducere uxorem, licet;
Sin alio eſt animo, renumeret dotem huc, eat.
LA. Ecce autem, tu quoque, proterue, iracundus es.
PH. Percontumax rediſti huc nobis, Pamphile.
LA. Decedet iam ira haec; etſi merito iratus eſt.
PH. Quia paullulum uobis acceſſit pecuniae,
Sublati animi ſunt. LA. etiam mecum litigas?
PH. Deliberet, renuncietq. hodie mihi,
Velit ne, an non; ut alij, ſi huic non eſt, ſiet.
LA. Phidippe, ades, audi paucis. abijt: quid mea?
Poſtremo inter ſe tranſigant ipſi, ut lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quidquam obtempe-

temperant:
Quae dico, paruipendunt·porto hoc iurgium ad
Vxorem: cuius fiunt consilio omnia haec:
Atque in eã hoc omne, quod mihi aegre est, euomã.

ACTVS · IV · SCENA · I

MYRRHINA · PHIDIPPVS

PERII, *quid agam? quo me uortam? quid meo respondebo uiro,*
Misera? nam audisse uocem pueri uisust uagientis:
Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam:
Quod si resciuerit peperisse, id qua caussa clam habuisse me
Dicam, non edepol scio.
Sed ostium concrepuit: credo ipsum ad me exire: nulla sum.
PH. *Vxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras.*
Atque eccam uideo. quid agis, Murrhina? heus, tibi dico. MY. *mihi ne,*
Mi uir? PH. *uir ego tuus sim? tu uirum me, aut hominem adeo esse deputas?*
Nam, si utrumuis horum mulier umquam tibi uisus forem,
Non sic ludibrio tuis factis habitus essem. MY. *quibus?* PH. *at rogas?*
Peperit filia? hem, taces? ex quo? MY. *istuc rogare aequom est patrem?*
Perij: ex quo censes, nisi ex illo, cui data est nuptum,

ptum, obsecro?

PH. Credo: neque adeo arbitrari patris est aliter. sed demiror,

Quid sit, quamobrem tantopere hunc omnes nos celare uolueris

Partum; praesertim cum & recte, & suo pepererit tempore.

Adeon ne peruicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire,

Ex quo inter nos scires posthac amicitiam fore firmiorem,

Potius, quam esset cum illo nupta aduorsus animi lubidinem

Tui? ego etiam illorum esse hanc culpam credidi, quae te est penes.

MY. Misera sum. PH. utinam sciam ita esse istuc. sed nunc mihi in mentem uenit,

Ex hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus:

Nam nuptam filiam negabas posse te pati tuam

Cū eo, qui meretrices amaret, qui pernoctaret foris.

MY. Quamuis caussam hunc suspicari, quam ipsam ueram, mauolo.

PH. Multo prius sciui, quam tu, illum amicam habere, Murrhina:

Verum id uitium ego numquam decreui esse adolescentiae:

Nam id omnibus innatum est. at pol iam aderit, cum se quoque oderit.

Sed, ut olim te ostendisti eandem esse, nihil cessasti

usque

usque adhuc,
Vt filiam ab eo abduceres, neu, quod ego egissem, esset ratum.
Id nunc res indicium haec facit, quo pacto factum uolueris.
MY · Adeon me esse peruicacem cēses, cui mater siem,
Vt eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?
PH · Tun prospicere, aut iudicare, nostram in rem quod sit, potes?
Audisti ex aliquo fortasse, qui uidisse eum diceret
Exeuntem, aut introeuntem ad amicam · quid tum postea, (nos
Si modeste ac raro hoc fecit? non ne ea dissimulare
Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?
Nam, si is posset ab ea sese derepente auellere,
Qui cum tot consuesset annos; non eum hominem ducerem,
Nec uirum satis firmum gnatae · MY · mitte adolescentem obsecro,
Et quae me peccasse ais: abi, solū solus conueni:
Roga, uelit ne, an nō, uxorē · si est, ut dicat uelle se,
Redde; sin est autem, ut nolit, recte cōsului meae ·
PH · Siquidem ille ipse non uolt, & tu sensti esse in eo, Murrhina,
Peccatum: aderam, cuius consilio ea par fuerat prospici ·
Quamobrem incendor ira, te esse ausam haec facere iniussu meo ·

Interdico,

Interdico, ne extulisse extra edes puerum usquam
uelis.
Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui po-
stulem:
Ibo intro, atque edicam seruis, ne quoquam effer
ri sinant.

MY. Nullam pol credo mulierem me miseriorem ui-
uere.
Nam, ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem, ut siet,
resciuerit,
Non epol clam me est; cum hoc, quod leuius est,
tam animo iracundo tulit:
Nec, qua uia sententia eius mutari possit, scio.
Hoc mi unum ex plurimis miserijs relliquom fue-
rat malum,
Si, puerum ut tollam, cogit, cuius qui sit, nesci-
mus, pater:
Nam, cum compressa est gnata, forma in tenebris
nosci non quita est:
Neque detractum ei tum quidquam est, qui post pos
sit nosci, qui siet:
Ipse eripuit ui, in digito quem habuit, uirgini ab-
iens anulum:
Simul uereor Pamphilum, ne orata nostra nequeat
diutius
Celare, cum sciet alienum puerum tolli pro suo.

SOSTRATA · PAMPHILVS

NON clam me est, mi gnate, tibi me esse suspectam, uxorem tuam
Propter meos mores hinc abijsse: etsi ea dissimulas sedulo:
Verum, ita me dij ament, itaq· obtingant ex te, quae exopto mihi, ut
Numquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei:
Teq· ante quã me amare rebar, ei rei firmasti fidẽ:
Nam mihi intus tuus pater narrauit modo, quo pacto me habueris
Praepositam amori tuo: nunc tibi me certum est contra gratiam
Referre, ut apud me praemium esse positum pietati scias.
Mi Pamphile, hoc & uobis, & meae commodum famae arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decreui patre,
Ne mea praesentia obstet, neu caussa ulla restet relliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. PAM· quaeso, quid istuc consili est?
Illius stultitia uicta, ex urbe tu rus habitatum migres?
Haud facies: neque sinam, ut qui nobis, mater, maledictum uelit,
Mea pertinacia dicat esse factũ, haud tua mõdestia.

Tum,

Tum, tuas amicas te, & cognatas deſerere & feſtos dies
Mea cauſſa, nolo. SO. *nihil iam mi iſtaec res uoluptatis ferunt:*
Dum aetatis tempus tulit, perfuncta ſatis ſum: ſatias iam tenet
Studiorum iſtorum: haec mihi nunc cura eſt maxuma, ut ne cui meae
Longinquitas aetatis obſtet, mortem ue exſpectet meam.
Hic uideo me eſſe inuiſam immerito: tempus eſt concedere:
Sic optume, ut ego opinor, omnes cauſſas praecidam omnibus,
Et me hac ſuſpicione exſoluam, & illis morem geſſero.
Sine me, obſecro, hoc effugere, uolgus quod male audit mulierum.
PAM. *Quam fortunatus ceteris ſum rebus, abſque una haec foret,*
Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem. SO. *obſecro, mi Pamphile,*
Non tute incommodam rem, ut quaeque eſt, in animum inducas pati.
Si cetera ſunt ita, ut tu uis, itaq. ut eſſe ego illam exiſtumo,
Mi gnate, da ueniam hanc mihi, reduc illam. PAM. *uae miſero mihi.*
SO. *Et mihi quidem: nam haec res non minus me male habet, quam te, gnate mi.*

ACTVS

LACHES · SOSTRATA · PAMPHILVS

QVEM *cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor :*
Istuc est sapere, qui, ubicumque opus sit, animum possis flectere,
Quod faciundum fortasse sit postidea, hoc nunc si feceris.
SO· *Fors pol fuat.* LA· *abi rus ergo hinc: ibi ego te, et tu me feres.*
SO· *Spero ecastor.* LA· *i ergo intro, & compone, quae tecum simul*
Ferantur : dixi. SO. *ita, ut iubes, faciam.* PAM. *pater.*
LA· *Quid uis, Pamphile?* PAM· *abire hinc matrem? minime.* LA· *quid ita istuc?* PAM· *qu ia*
De uxore incertus sum etiam, quid facturus siem. LA· *quid est?*
Quid uis, nisi reducere? PAM· *equidem cupio, & uix contineo : sed*
Non minuam meum consilium : ex usu quod est, id persequar.
Credo, si non redducam, ea gratia concordes magis fore.
LA· *Nescias: uerũ id refert nihil, utrũ illae fecerint,*
Quando haec abierit : odiosa haec aetast adolescentulis :
E medio aequom excedere est : postremo iam nos fabulae
Sumus, Pamphile, senex, atque anus.

*Sed uideo Phidippum per tempus egredi: acce-
damus.*

ACTVS · IV · SCENA · IV

PHIDIPPVS · LACHES · PAMPHILVS

TIBI *quoque edepol ſum iratus, Philu-
mena,*
*Grauiter quidem: nam hercle abs te fa-
ctum eſt turpiter:*
Etſi tibi cauſſa eſt de hac re· mater te impulit:
Huic uero nulla eſt· LA· *opportune te mihi,*
Phidippe, in ipſo tempore oſtendis· PH· *quid eſt?*
PH· *Quid reſpõdebo his? aut quo pacto hoc operiam?*
LA· *Dic filiae, rus conceſſuram hinc Soſtratam:*
Ne reuereatur, minus iã quo redeat domũ· PH· *ah,*
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Murrhina haec ſunt mea uxore exorta omnia·
PAM· *Mutatio fit·* PH· *ea nos perturbat, Laches·*
PAM· *Dum ne reducam, turbent porro, quam uelint·*
PH· *Ego, Pamphile, eſſe inter nos, ſi fieri poteſt,*
Affinitatem hanc ſane perpetuam uolo;
Sin eſt, ut aliter tua ſiet ſententia,
Accipias puerum· PAM· *ſenſit peperiſſe: occidi.*
LA· *Puerũ? quẽ puerum?* PH· *natus eſt nobis nepos:*
Nam abducta a uobis praegnas fuerat filia,
Neq· fuiſſe praegnatẽ umquã ante hunc ſciui diẽ.
Bene, ita me dij ament, nuncias: & gaudeo
Natum illũ, et tibi illã ſaluam: ſed, quid mulieris
Vxorem habes? aut quibus moratam moribus?

Nos

Nos ne hoc celatos tam diu? nequeo satis,
Quam hoc mihi uidetur factum praue, proloqui.
PH· *Non tibi illud factum minus placet, quam mihi,*
Laches.
PAM· *Etsi iamdudum fuerat ambiguum hoc mihi,*
Nunc non est, cum eam consequitur alienus puer.
LA· *Nulla tibi, Pamphile, hic iam consultatio est.*
PAM· *Perij.* LA· *hunc uidere saepe optabamus diē,*
Cum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem:
Euenit: habeo gratiam dijs. PAM· *nullus sum.*
LA· *Reduc uxorem, ac noli aduorsari mihi.*
PAM· *Pater, si illa ex me liberos uellet sibi,*
Aut se esse mecum nuptam, satis certo scio,
Non me clam haberet, quae celasse intellego.
Nunc, cum eius alienum esse a me animum sentiā,
Nec conuenturum inter nos posthac arbitrer,
Quamobrem reducam? LA· *mater quod suasit sua,*
Adolescens mulier fecit: mirandum ne id est?
Censen te posse reperire ullam mulierem,
Quae careat culpa? an quia non delinquunt uiri?
PH· *Vosmet uidete iam, Lache, & tu, Pamphile,*
Remissam opus sit uobis, an reductam domum:
Vxor quid faciat, in manu non est mea:
Neutra in re uobis difficultas a me erit.
Sed, quid faciemus puero? LA· *ridicule rogas.*
Quidquid futurum est, huic reddas, suum scilicet,
Vt alamus nostrū. PAM· *quē ipsa neglexit, pater,*
Ego alam? LA· *quid dixti? eho an non alemus,*
Pamphile?
Prodemus quaeso potius? quae haec amentia est?

Enimuero prorſus iam tacere non queo :
Nam cogis, ea, quae nolo, ut praeſente hoc loquar.
Ignarum cenſes tuarum lacrumarum eſſe me ?
Aut, quid ſit id, quod ſollicitere ad hunc modum ?
Primum hanc ubi dixti cauſſam, te propter tuam
Matrem non poſſe habere hanc uxorem domi ;
Pollicita eſt ea, ſe conceſſuram ex edibus.
Nunc, poſtquam ademptam hanc quoque tibi cauſſam uides ;
Puer quia clam te eſt natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi ſi me eſſe ignarum putas.
Aliquando tandem huc animum ut adiungas tuũ,
Quam longum ſpatium amandi amicam tibi dedi ?
Sũptus, quos feciſti in eã, quam animo aequo tuli ?
Egi, atque oraui tecum, uxorem ut duceres :
Tempus dixi eſſe : impulſu duxiſti meo.
Quae tum, obſecutus mihi, feciſti ut decuerat.
Nunc animũ rurſum ad meretricẽ induxti tuum,
Cui tu obſecutus, facis huic adeo iniuriam.
Nam in eandem uitam te reuolutum denuo
Video eſſe. PAM. me ne? LA. te ipſum: & facis iniuriam,
Cum fingis falſas cauſſas ad diſcordiam,
Vt cum illa uiuas, teſtem hãc cum abs te amoueris:
Senſitq. adeo uxor: nam ei cauſſa alia quae fuit,
Quamobrem abs te abiret ? PH. plane hic diuinat: nam id eſt.
PAM. Dabo iuſiurandum nihil eſſe iſtorũ tibi. LA. ah,
Reduc uxorem, aut, quamborem non opus ſit, cedo.
PAM. Non eſt nunc tempus. LA. puerum accipias :
nam

nam is quidem
In culpa non est · post de matre uidero ·
PAM · Omnibus modis miser sum: nec, quid agã, scio:
Tot nunc me rebus miserum concludit pater ·
Abibo hinc, praesens quando promoueo parum ·
Nam puerum credo iniussu non tollent meo,
Praesertim in ea re cum sit mihi adiutrix socrus ·
LA · Fugis? hem, nec quidquam certi respondes mihi?
Num tibi uidetur esse apud sese? sine:
Puerũ Phidippe mihi cedo, ego alã · PH · maxume ·
Non mirum fecit uxor, si hoc aegre tulit:
Amarae mulieres sunt, non facile haec ferunt ·
Propterea haec ira est: nam ipsa narrauit mihi:
Id ego praesente hoc tibi nolebam dicere:
Neque ei credebam primo: nunc uero palam est ·
Nã omnino abhorrere animũ huic uideo a nuptijs ·
LA · Quid ergo agam, Phidippe? quid das consilij?
PH · Quid agas? meretricem hanc primum adeundam
censeo:
Oremus: accusemus grauius: denique
Minitemur, si cum illo habuerit rem postea ·
LA · Faciam, ut mones · puer, eho, curre ad Bacchi-
dem hanc
Vicinam nostram: huc euoca uerbis meis ·
Et te oro porro, in hac re adiutor sis mihi · PH · ah,
Iamdudum dixi, itidemq; nunc dico, Lache,
Manere affinitatem hanc inter nos uolo,
Si ullo modo est ut possit; quod spero fore ·
Sed uis ne adesse me una, dum istam conuenis?
LA · Immo uero abi, aliquam puero nutricem para ·

BACCHIS · LACHES

NON hoc de nihilo est, quod Laches nunc me conuentam esse expetit:
Nec pol me multum fallit, quin, quod suspicor, sit quod uelit.

LA· Videndum est, ne minus propter iram hanc impetrem, quam possiem;
Aut ne quid faciam plus, quod me post minus fecisse satius sit.
Aggrediar. Bacchis, salue. BA· salue, Lache. LA· credo edepol te
Non nihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc iussi
Foras puerum euocare.

BA· Ego pol quoque etiam timida sum, cum uenit mi in mentem, quae sim,
Ne nomen mihi quaesti obstet apud te: nam mores facile tutor.

LA· Si uera dicis, nihil tibi pericli a me est, mulier: nā
Iam aetate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequom:
Quo magis, omnes res cautius ne temere faciam, accuro:
Nam si facis, factura ue res bonas quod par est facere;
Inscitum offerre iniuriam tibi me immerenti, iniquom est.

BA· Est magnam ecastor gratiam de hac re quod tibi habeam. nam qui

Post factam iniuriam se expurget, mihi parum profit. sed,
Quid istuc est? LA. meum receptas filium ad te Pamphilum. BA. ah.
LA. Sine dicam: uxorem hanc prius quam duxit, uostrum amorem pertuli.
Mane: nondum etiam dixi id, quod uolui. nunc hic uxorem habet.
Quaere alium firmiorem tibi, dum consulendi tempus est.
Nam ille neque animo hoc erit aetatem, neque pol eadem ista aetate tu.
BA. Quis id ait? LA. socrus. BA. me ne. LA. te ipsam: & filiam abduxit suam,
Puerumque ob eam rem clam uoluit, qui natus est, exstinguere.
BA. Aliud si scirem, qui firmare meam apud uos possem fidem,
Sanctius quã iusiurãdũ, id pollicerer tibi, Laches,
Me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.
LA. Lepida es. sed scin, quid uolo potius sodes facias? BA. quid, cedo?
LA. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc iusiurandum idem
Polliceare illis: exple animum ijs, teq. hoc crimine expedi.
BA. Faciam. quod pol, si esset alia ex hoc quaestu, haud faceret, scio,
Vt de tali caussa nuptae mulieri se ostenderet:

Sed falsa fama esse nolo gnatum suspectum tuum,
Nec leuiorem uobis, quibus est minime aequom, uiderier
Immerito: nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.
LA. Facilem, beneuolumq. lingua tua iam tibi me reddidit:
Nam non sunt solae arbitratae hae: ego quoque hoc etiam credidi.
Nunc, cum ego te esse praeter nostram opinionem comperi,
Fac eadem ut sis porro: nostra utere amicitia, ut uoles.
Aliter si facis. sed reprimam me, ne aegre quidquam ex me audias.
Verum te hoc moneo unum, qualis sim amicus, aut quid possiem,
Potius quam inimicus, periclum facias. BA. faciam sedulo.

ACTVS. V. SCENA. II

PHIDIPPVS. LACHES

BACCHIS

NIHIL apud me tibi defieri patiar, quin, quod opus sit,
Benigne praebeatur.
Sed, cum tu satura, atque ebria eris, puer ut satur sit, facito.
LA. Noster socer, uideo, uenit. puero nutricẽ adducit.
Phidippe,

Phidippe, Bacchis deierat persancte. PH. haecine ea est? LA. haec est.

PH. Nec pol istae metuunt deos: neque has respicere deos opinor.

BA. Ancillas dedo: quolibet cruciatu per me exquire,
Licet. haec res hic agitur: me facere Pamphilo ut uxor redeat,
Oportet: quod si perficio, non paenitet me famae,
Solam fecisse id, quod aliae meretrices facere fugitant.

LA. Phidippe, nostras mulieres suspectas falsó nobis
In re ipsa inuenimus: porro hanc nunc experiamur. nam, si
Compererit falso crimini tua se uxor credidisse,
Missam iram faciet; sin autem est ob eam rem iratus gnatus,
Quod peperit uxor clam, id leue est: cito ab eo haec ira abscedet.
Profecto in hac re nihil mali est, quod sit dissidio dignum.

PH. Velim quidem hercle. LA. exquire: adest: quod satis sit, faciet. BA. faciam.

PH. Quid istaec mihi narras? an quia non tute audisti dudum,
De hac re animus meus ut sit, Laches? illis exple modo animum.

LA. Quaeso edepol, Bacchis, quod mihi es pollicita tute, ut serues.

BA. Ob eam rem uis ergo intro eam? LA. i, atque exple animum ijs, ut credant.

BA. Eo: etsi scio pol his fore meum conspectum inuisum hodie:

Nam nupta meretrici hostis est, a uiro ubi segregata est.

LA. At hae amicae erunt, ubi, quamobrem adueneris, resciscent. PH. atqui

Easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint:

Nam illas errore, & te simul suspicione exsolues.

BA. Perij, pudet Philumenae: sequimini me intro huc ambae.

LA. Quid mi est, quod malim, quam quod huic intellego euenire, ut

Gratiã ineat sine suo dispendio, et mihi una prosit?

Nam si est, ut haec nunc Pamphilum uere ab se segregarit;

Scit sibi nobilitatem ex eo, & rem natam, & gloriam esse;

Referetq. gratiam ei, unaq. opera nos sibi amicos iunget.

ACTVS . V . SCENA . III

PARMENO . BACCHIS

EDEPOL ne esse meam herus operam deputat parui preti,

Qui ob rem nullam misit: frustra ubi totum desedi diem,

Myconium

Myconium hoſpitem dum exſpecto in arce Callidemidem.
Itaque ineptus hodie dum illic ſedeo, ut quiſque uenerat,
Accedebam: adoleſcens, dic dum quaeſo, tun es Myconyus?
Non ſum. at Callidemides? non. hoſpitem ecquem Pamphilum
Hic habes? omnes negabant: neque enim quemquam eſſe arbitror.
Denique hercle iam pudebat: abij. ſed, quid Bacchidem
Ab noſtro affine exeuntem uideo? quid huic hic rei eſt?

BA. *Parmeno, opportune te offers, propere curre ad Pamphilum.*

PAR. *Quid eo?* BA. *dic me orare, ut ueniat.* PAR. *ad te?* BA. *immo ad Philumenam.*

PAR. *Quid rei eſt?* BA. *tua quod nil refert, percunctari deſinas.*

PAR. *Nil aliud dicam?* BA. *etiam: cognoſſe anulum illum Murrhinam*
Gnatae ſuae fuiſſe, quem mihi ipſus olim dederat. PAR. *ſcio.*
Tantum ne eſt? BA. *tantum: aderit continuo, haec ubi ex te audiuerit.*
Sed ceſſas? PAR. *minime equidẽ: nam hodie mihi poteſtas haud data eſt:*
Ita curſando atque ambulando totum hunc contriui diem.

BA. *Quan-*

BA. *Quantam obtuli aduentu meo laetitiam Pamphilo hodie?*
Quot commodas res attuli? quot autem ademi curas?
Gnatum ei restituo, qui paene harum, ipsiusq. opera periit:
Vxorem, quam numquam est ratus posthac se habiturum, reddo:
Qua re suspectus suo patri, & Phidippo fuit, exsolui.
Hic adeo his rebus anulus fuit initium inueniundis.
Nam memini, abhinc menses decem fere ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, sine comite, uini plenum,
Cum hoc anulo. extimui illico: mi Pamphile, inquam, amabo,
Quid exanimatus es obsecro? aut unde anulum istum nactus?
Dic mihi. ille, alias res agere se, simulare. postquã id uideo;
Nescio quid suspicarier magis coepi; instare, ut dicat.
Homo se fatetur ui in uia nescio quam compressisse:
Dicitq. sese illi anulum, dum luctat, detraxisse:
Eum haec cognouit Murrhina in digito modo me habentem:
Rogat, unde sit: narro omnia haec: inde est cognitio

tio facta,
Philumenam esse compressam ab eo, & filium inde
hunc natum.
Haec tot propter me gaudia illi contigisse, laetor:
Etsi hoc meretrices aliae nolunt: neque enim est in
rem nostram,
Vt quisquam amator nuptijs laetetur. uerum eca-
stor
Numquam animum quaesti gratia ad malas addu
cam partes.
Ego, dum illo licitum est, usa sum benigno, & lepi-
do, & comi.
Incommode mihi nuptijs euenit: factum fateor:
At pol me fecisse arbitror, ne id merito mihi eue-
niret.
MVLTA ex quo fuerint commoda, eius incommo-
da aequom est ferre.

ACTVS · V · SCENA · IV

PAMPHILVS · PARMENO
BACCHIS

VIDE, mi Parmeno, etiam sodes, ut mi
haec certa & clara attuleris;
Ne me in breue hoc conijcias tempus, gau
dio hoc falso frui.
PAR. Visum est. PAM. certo ne? PAR. certe. PAM.
deus sum, si hoc ita est. PAR. uerum reperies.
PAM. Manedum, sodes? timeo ne aliud esse credam, at
que aliud nuncies.
PAR. Maneo.

PAR. *Maneo.* PAM. *sic te dixiſſe opinor, inueniſſe Murrhinam,*

Suum anulum habere Bacchidem. PAR. *factum.* PAM. *eum, quem ego olim ei dedi:*

Eaq. hoc te nunciare mihi iuſſit: ita ne factum? PAR. *ita, inquam.*

PAM. *Quis me eſt fortunatior, uenuſtatisque adeo plenior? egon*

Pro hoc nuncio quid te donem? quid? quid? neſcio. PAR. *at ego ſcio.* PAM. *quid?*

PAR. *Nil: nam neque etiam in nuncio, neque in me ipſo quid ſit boni,*

Scio. PAM. *ego ne, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,*

Sinam ſine munere a me abire? ah, nimium me ingratum putas.

Sed Bacchidem eccam uiedo ſtare ante oſtium:

Me exſpectat, credo: adhibo. BA. *ſalue, Pamphile.*

PAM. *O Bacchis, o mea Bacchis, ſeruatrix mea.*

BA. *Bene factum, & uolupe eſt.* PAM. *factis ut credam, facis:*

Antiquamq. adeo tuam uenuſtatem obtines,

Vt uoluptati obitus, ſermo, aduentus tuus, quocumque adueneris,

Semper ſiet. BA. *at tu ecaſtor morem antiquum, atque ingenium obtines,*

Vt unus hominum homo te uiuat numquam quiſquam blandior.

PAM. *Ha, ha, hae, tu ne mihi iſtuc?* BA. *recte amaſti,*

Pam-

Pamphile, uxorem tuam:
Nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, uideram:
Perliberalis uisa est. PAM. dic uerum. BA. ita me dij ament, Pamphile.
PAM. Dic mihi, harum rerum numquid dixti iam patri? BA. nil. PAM. neque opus est:
Adeo mutito: placet hoc non fieri, itidem, ut in comoedijs,
Omnia ubi omnes resciscunt. hic, quos par fuerat resciscere,
Sciunt; quos non autem scire aequom est, neque resciscunt, neque scient.
BA. Immo etiam, hoc qui occultari posse facilius credas, dabo:
Murrhina ita Phidippo dixit, iureiurando se meo
Fidem habuisse, & propterea te sibi purgatum. PAM. est optume:
Speroq. rem hanc esse euenturam nobis ex sententia.
PAR. Here, licet me scire ex te, hodie quid sit quod feci boni?
Aut quid istuc est, quod uos agitis? PAM. non. PAR. suspicor tamen.
Ego ne ab Orco hunc mortuum? quo pacto? PAM. nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta aerumna extraxeris.
PAR. Immo uero scio, neque hoc imprudens feci. PAM. ego istuc satis scio. PAR. an

Temere

Temere quidquam Parmenonem praetereat, quod facto usus sit?

PAM · *Sequere me intro, Parmeno ·* PAR · *sequor · equidem plus hodie boni*


Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem umquam · Plaudite ·

FINIS



M. ANTONII MVRETI

ARGVMENTORVM ET . SCHOLIORVM IN . TERENTIVM LIBER





DVM AFRICANI uocem diuinam] *Antea legebatur, Voce diuina. ego hoc Latini sermonis consuetudinem pati non puto: neque enim, Aliqua re, sed, Aliquam rem inhiare, dicimus. Plautus,*

-- Inhiat aurum, ut deuoret. Itaque ratus sum, sine periculo posse mutari. Sic paullo infra, cum in omnibus libris legeretur, - Abijt in Graeciam in terram ultimam: ausus sum prius illud, In, expungere: quod & uersum corrumpebat, & orationis, ut ego quidem arbitror, puritatem. Terram enim Graeciam, & Terram Italiam, & similia, ueteres saepe dicebant.

Iussus ante Caecilio recitare.] *pro Cerio, quod nomen nihil est, & tamen hoc loco in omnes libros irrepserat, Caecilium reposui, fretus auctoritate Eusebij, qui hoc ipsum, quo de hic agitur, narrat in Chronicis. Caecilium autem poetam comicum accipio.*

Consularibus ludis] *consularium ludorum nulla alibi, quod sciam, mentio. Consualibus, non, Consularibus, legendum forte sit. sunt autem Consuales ludi ijdem cum Circensibus, siue Romanis.*

Iliadem instar tragoediae, Odysseam ad imaginem comoediae] *Aliter sentit Aristoteles; cuius auctoritate facile huius grammatici opinio praeponderatur. eius uerba sunt* ἐν τῷ περὶ ποιητικῆς

ὥσπερ δὲ καὶ τὰ σπουδαῖα μάλιστα ποιητικῆς Ὅμηρος ἦν (μόνος γάρ, οὐχ ὅτι εὖ, ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν) οὕτω καὶ τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπέδειξεν, οὐ ψόγον, ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας. ὁ γὰρ Μαργείτης ἀνάλογον ἔχει ὥσπερ Ἰλιὰς καὶ Ὀδύσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας, οὕτω καὶ οὗτος πρὸς τὰς κωμῳδίας.

Ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata, ſiluere.] *In alijs, Lata lege ſanxerunt. inepte. hoc enim ſignificat: ſiluiſſe poetas, ideſt, deſiiſſe, ciuem nominatim proſcindere, cum lex illa lata eſſet. atque hoc ipſum eſt, quod ait Flaccus,*

– lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.

Prorſae orationis] *Proſam orationem qui dicunt, facere imperite puto. Prorſum antiqui rectum uocabant: unde Prorſi limites apud Feſtum, eoq. uocabulo in hunc ſenſum reperio uſum Senecam in his uerſibus ex Troade,*

Et qui renatum prorſus adiſpiciens diem,
Tepidum rubenti Tigrin admiſcet freto.

Sed & Prorſam uocabant deam, quae rectos fetus educeret: de qua locum hunc A. Gellij lib. XVI. *ita ſcriptum in ueteribus libris uidere memini: Huius periculi deprecandi gratia arae ſtatutae ſunt Romae duabus Carmentibus, quarum altera Poſtuerta nominata eſt, Prorſa altera: a recti, peruerſiq. partus & poteſtate, & nomine. Nunc autem ibi quoque corrupte legitur, Proſa. Quia*

igitur, Prorsum, ut dixi, rectum est, iccirco solutam orationem Prorsam nominarunt; quod essent in ea uoces recto fere ordine, & , ut naturae ferret impetus, collocatae. contraq. Versum dixerunt, in quo esset orationis genus, ut Cicero loquitur, uersum atque mutatum.

Haec scripsi olim: sed postea attentius cogitanti uenit in mentem, ueteres dixisse Susus & Susum, pro Sursus & Sursum: itidemq. Deosum pro Deorsum. quare opinor eodem modo receptum, ut pro oratione prorsa dicerent Prosam.

Vt nusquam non rescecuerit] *Alij, cum incidissent in libros, ex quibus primae syllabae huius uerbi euanuerant, ex illo Cuerit, fecerunt Cauerit, aut Curauerit. Huius generis peccata plurima in optimis quibusque scriptoribus alias indicabo.*

Nihil ad populum facit actorem uelut ex tragoedia loqui] *quidam liber uetus, Exstragem loqui. puto legendum, Extra rem loqui. delendumq. illud Velut. Apud Plautum autem, ut & apud Aristophanem, multa saepe loquuntur actores extra rem ad populum. apud Terentium nihil tale.*

Togatas a scenicis atque argumentis Latinis] *quos dicit Latinos scenicos? an hic quoque deprauata scriptura est? quod equidem ita existumo: legendumq. A scenis &c. Scenam cuiusq. fabulae uocabant, ubi quidq. actum fingeretur. quemadmodum scena omnium Terentianarum est Athenis aut in agro Attico, Plautinae Amphitruonis Thebis, Captiuorum in Aetolia, aliarum alibi,*

ac plerumque Athenis: quod ostendunt hi Plautini uersus ex Menaebmis:

Atq. hoc poetae faciunt in comoedijs,
Omnis res gestas esse Athenis autumant,
Quo uobis illud Graecum uideatur magis.

Sic in tragoedijs Euripidis notari uidemus ubi cuiusq. scena sit. ἡ σκηνὴ ἐν τῇ ἀντιπέραν τῆς Θρᾴκης χερρονήσῳ, ἡ σκηνὴ ἐν Ἄργει. *& similia.*

Ab diuturna imitatione] *suspicor legendum, Ab iucunda imitatione. eamq. coniecturam libri ueteres, si quis eos inspiciat, adiuuant.*

Latinae fabulae primo a Liuio Andronico scriptae sunt ad cunctas res, etiam cum recentius idem poeta, & actor fabularum suarum fuisset] *In alijs libris, Cum etiam tum recentius idem & poeta &c. Locus aperte corruptus est: quem equidem ita legendum censeo: Latinae fabulae primo a Liuio Andronico scriptae sunt; cum, etiam tum ad cuncta recentibus, idem & poeta, & actor fabularum suarum fuisset. Vt hoc significet, ideo eundem & poetam, & actorem fuisse, quod Romani etiam tum ad eiusmodi omnia rudes essent. uide Liuium lib.* VII.

Omnium autem comoediarum scripta] *Lego, Inscripta. ita autem uocat inscriptiones.*

Nam ludorum quattuor sunt species] *Difficile dictu est, hoc loco non multis in uerbis quam multa peccata sint. primum, quattuor tantum ludorum genera, siue, ut iste nescio quis loquitur, species. ubi igitur Florales? ubi Romani? ne ceteros*

ros perſequendo ſim longior. deinde Apollinares ludos numerat inter eos, qui ad curam aedilium curulium pertinerent. falſo. exſtant apud Liuium, & Macrobium carmina Marcij uatis, quae eos ad praetoris urbani curam pertinuiſſe demonſtrant. Apollini cenſeo uouendos ludos, qui quotannis communiter Apollini fiant. ijs ludis faciendis praeſit is praetor, qui ius populo plebiq. dabit ſummum. Idem confirmat M. Tullius oratione decima in Antonium; ubi, de Bruto loquens, Qui inquit, cum praetor urbanus eſſet, urbe caruit, ius non dixit, cum omne ius populi R. recuperaſſet. & paullo infra: Qui ne Apollinares quidem ludos, pro ſua, populiq. R. dignitate apparatos, praeſens fecit, ne quam uiam pateſaceret ſceleratorum hominum audaciae. Errat etiam in eo, quod Megalenſes magnis dijs conſecratos fuiſſe arbitratur. non enim Megalenſes, ſed Circenſes, ſiue Romanos Conſo & magnis dijs, ex Aſconio; Megalenſes autem magnae deum matri ſacros fuiſſe, ex Liuio & alijs cognoſcitur. Nam quod Antonius Goueanus a Megalenſibus Megaleſia diſtinguere, Megalenſes autem eoſdem cum Romanis facere uoluit; aeque in utroque falſus eſt. Locus eſt Ciceronis ex oratione de reſponſis haruſpicum: Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio noſtri maiores ante templum in ipſo Matris magnae conſpectu Megalenſibus fieri celebrariq. uoluerunt? qui ſunt more inſtitutiſq. maxime caſti, ſollemnes, religioſi: quibus ludis primum ante po

puli consessum senatui P. Africanus iterum consul ille Maior dedit, ut eos ludos haec lues impura pollueret. quo si quis liber aut spectandi, aut etiam religionis caussa accesserat, manus afferebantur: eo matrona nulla adijt propter uim consensumq. seruorum. Ita ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris accersita, in hac urbe consederit, qui uni ludi ne uerbo quidem appellantur Latino, ut uocabulo ipso & appetita religio externa, & Matris magnae nomine suscepta declaretur, hos ludos serui fecerunt, serui spectauerunt, tota denique hoc aedili seruorum Megalesia fuerunt. Hunc locum totidem uerbis citat Goueanus; & ex eo colligit, a Megalensibus alia esse Megalesia, quod Cicero Megalesia Megalensibus celebrari solita dicat. deinde tradit ludos Megalenses eosdem esse, qui Circenses, Romani, Magni nominantur. quae cum dicit, non animaduertit in quam difficiles sese rerum absurdissimarum laqueos induat. non abutar pluribus argumentis, neque committam, ut mea oratio, hunc ueluti patentem alienae reprehensionis nacta campum, iuueniliter in eo exsultare uideatur. tota res uno uerbo confici potest. nam si ludi Megalenses committebantur pridie id. Apr. ut ex Liuio constat; ludi autem Romani pridie Kal. Sept. ut e priore actione in Verrem cognoscitur: quis est usque eo hebes, qui non uideat, ut ijdem sint Megalenses & Romani, nullo modo fieri posse? Ego uero, ne dicam dolo, uocem illam, Megalensibus, e Ciceronis lo-

co.

co, quem paullo supra recitaui, & expungendam puto, & e glossemate aliquo in ordinem Ciceronis uerborum irrepsisse suspicor. Sunt igitur eadem Megalesia cum Megalensibus, neque dicta sunt ἀπὸ τῶν μεγάλων σιῶν, *ut hic grammaticus nugatur, sed a Magna matre, cui dicata erant: cumq. initio Megalensia dicerentur, detrita, ut saepe fit, littera, Megalesia nominata sunt. Itaque Festus, Megalesia, inquit, ludos Matris magnae appellabant.*

Μεγάλους σιὼς] *antea legebantur coniuncte,* μεγαλεσίους, *quam uocem nusquam apud probatos auctores reperiri arbitror.*

Hinc Vlixem palliatum semper inducunt] *Omnino legendum est, Pileatum: & paullo infra Pileatos, non, ut uulgo, Palliatos. Cum enim Vlixes pileatus pingeretur, uerisimile est pileatum etiam induci solitum. Pileatus autem pingi solebat, ex uersu quodam Homeri,* μέσσῃ δ' ἐνὶ πῖλος ἀρήρει. *Ac primus eum ita pinxisse dicitur Apollodorus, pictor nobilis, quem ait Plinius primum penicillo gloriam contulisse. Paullo post, ubi legitur* Huius enim uirtutis, *lego,* Huius enim uirtus.

Diuerbijs, & canticis] *ita emendaui, coniectura tantum adductus, cum partim librorum, De authenticis, partim, Deuerbijs authenticis, haberent.*

Adnotandum sane puellarum &c.] *falsum est, quod hoc loco admonet Donatus, puellas liberales nusquam in palliata loqui. loquitur in Heauton timorumeno*

morumeno Antiphila, in Curculione Planesium, in Epidico uirga illa, Stratiphoclis soror. Pluribus exemplis nihil opus est.

Nihil ergo secus factum est.] *In alijs Secus, in alijs Secius: ego Sequius legendum puto. Valet autem Sequius, minus bene, aut minus bonum. neque est, cur dubitetur de integritate loci illius apud Liuium lib. 11. Inuitus, inquit, quod sequius sit, de meis ciuibus loquor. Sic Afranius apud Sosipatrum: Sin, id quod non spero, ratio talis sequius ceciderit.*



M. ANTONII. MVRETI
IN. ANDRIAM. TERENTII
ARGVMENTVM



HREMES, & Phania fratres Athenienses fuerunt. eorum Chremes, profecturus in Asiam, Pasibulam filiolam, quam tum unicam habebat, fratris fidei credidit. profecto eo, contingit, ut in Graecia magni bellorum motus excitarentur. quos fugiens Phania, cum imposita secum in nauim puella ad fratrem iter cepisset, ui tempestatis fracta naui, apud Andrum insulam eiectus est. ibi applicat se ad Andrium quendam, hominem haud magna in re; a quo tamen benigne humaniterq. exceptus, non ita multo post moritur. Hospes Andrius relictae apud se puellae commutat nomen, & pro Pasibula Glycerium nominat: cumq. per aliquot annos eam cum filia Chryside, pari utramque studio, educasset, decedit ipse quoque de uita. Chrysis, quae se & orbam, & inopem uideret, abrepta secum Glycerio, Athenas nauigat: ubi cum aliquandiu uitam lana telaque tolerasset, ad postremum adolescentum blanditijs, & pollicitationibus uicta, quaestum corpore facere incepit. Ventitabat ad eam inter ceteros Pamphilus, Simonis filius, probus & liberali praeditus ingenio adolescens: qui non Chrysidis ille quidem, sed ipsius Glycerij mirifico quodam amore percussus, primus, solusque

corpus cum ea commiscuit, fidemq. iam grauidae dedit, eam sibi uxorem fore. Susceperat & postea Chremes aliam filiam, Philumenam nomine, eamque (iam enim nubilis erat) Pamphilo, bona adolescentis impulsus fama, collocare cupiebat. Quid multa? ultro ad Simonem uenit, cum eo nogotium conficit. inscio Pamphilo, de communi senum sententia, faciendis nuptijs constituitur dies. Adhuc haec erant: cum Chrysis moritur. ibi primum Simo de filij amore cognouit. nam cum ambo una in funus prodijssent; accidit, ut, posita in ignem Chryside, Glycerium se, prae doloris impatientia, eodem coniectura uideretur. Accurrit Pamphilus; eamque mediam amplexus, ita consolari coepit, ut plurimas minimeq. dubias totius rei significationes daret. itaque uenit ad Simonem postridie Chremes; condicionem renunciat: comperisse se, Pamphilum peregrinam illam habere in uxoris loco. nescius, ex se natam esse eam, qui ita contumeliae caussa peregrinam nominaret. gaudere, ea re intellecta, Pamphilus: dolere contra, ac ringi Simo. aduenit interea dies, qui nuptijs initio fuerat praestitutus. Simo, ueteratoria quadam calliditate, simulandas sibi, ad pertentandum filij animum, nuptias statuit: hoc cogitans, si abnueret filius, ueram sibi obiurgandi illius caussam fore; quae ad eum diem nulla satis iusta fuerat: sin annueret; facile se, quod uellet, a Chremete impetraturum: atque ita uero nuptias, dijs adiuuantibus, factum iri. praeteriens

igitur apud forum, securo iam, et nihil tale metuen ti filio, Pamphile, inquit, abi domum, ac deos comprecare: uxor tibi ducenda hodie est. hoc dicto, uelut improuiso quodam iaculo, sauciatus ado lescens, quid ageret, aut quid consilij caperet, ne sciebat: cum ad eum Dauus, uafro admodum, ac uersuto ingenio seruus, animaduersa senis astutia, accurrit. Erat tum una cum Pamphilo Charinus, qui adolescens miro quodam amore Philumenae incensus, frustra saepe tentatis illius nuptijs, ad postremum audito eam eo die nupturam Pamphilo, in summam desperationem adductus, eum orabat, si se saluum uellet, ut uel eam ne duceret, uel saltem nuptijs dies aliquot produceret. Pamphilus eum sua quidem caussa bono esse animo, atque omnia ad impediendas nuptias moliri, iubebat: se, quantum in se esset, effecturum, ea ut ne daretur sibi. adueniens, ut dixi, Dauus, Charinum, iam spei plenum, abire ad ambiendos senis amicos iubet: deinde seorsum Pamphilo coniecturas suas aperit, persuadetque, ut patri dicat, se paratum esse uxorem ducere: nam eo pacto, inquit, & patri omnem iurgandi occasionem praeci deris, & non erit tamen uerendum, ne nuptiae fiant: numquam enim Chremes tibi, semel repudiato, filiam suam iterum commissurus est. Haec ita de serui consilio acta, longe aliter cecidere, ac putabantur. exorat enim Chremetem Simo. ita res in uerarum nuptiarum discrimen adducitur. Forte eo ipso die Glycerium, exactis temporibus,

puerum

puerum peperit. eum puerum Dauus, cum aliter nuptias disturbare non posset, pro foribus aedium Simonis ab ancilla collocandum curat. in eum cum incidisset Chremes, & e Pamphilo natum esse cognosset, rursum abducit animum a nuptijs. turbae maximae concitantur: donec aduenit Crito Andrius, qui, quod Chrysidi genere proximus fuisset, ad cernendam illius hereditatem Athenas uenerat. eius interuentu Chremes filiam agnoscit. ita, summa omnium laetitia, Charino Philumena, Glycerium Pamphilo nubit.

SCHOLIA.

MODOS. FECIT. FLACCVS. CLAVDII.] *In alijs, quos quidem uiderim, omnibus,* FLACCVS CLAVDII. FILIVS, *quod equidem concoquere non possum. neque enim cum pater alicuius notandus erat, nomine eum, sed praenomine, aut certe cognomine notabant. uerbi caussa, non ita ut dicerent,* M. TVLLIVS. CICERO. TVLLII. F. *certe enim, si Tullius est, Tullij filius sit, necesse est, aut iure naturae, aut iure ciuili. Sed hoc modo,* M. TVLLIVS. M. F. CICERO. *quo modo igitur retineri potest scriptura haec,* FLACCVS. CLAVDII. FILIVS? *nondum enim adduci possum, ut assentiar homini doctissimo, Antonio Augustino, qui Claudium ueteribus non nomen modo, sed praenomen quoque fuisse ait. deinde ut in gente Valeria, & Horatia Flacci cognomen*

men fuisse notissimum est: ita in Claudia fuisse non puto. postremo hunc Flaccum, quisquis est, ciuem Romanum natum fuisse, non est credibile, cum ignominiosa esset apud Romanos scenicorum artificiorum tota fere tractatio: sed aut seruum alicuius ciuis R. aut certe libertum: quorum utrouis posito, illud, CLAVDII · FILIVS, *stare non potest. Deleui igitur uocem,* FILIVS, *eo fidentius, quod in ceterarum fabularum inscriptionibus nullus omnino est, qui eam habeat, antiquus liber.*

4· Faciunt ne intellegendo] *Adsentior ijs, qui locum hunc per interrogationem efferendum putant: etsi aliter Donatus.*

ACTVS · PRIMI · SCENA · PRIMA] *Scena quid sit, notum est omnibus. quod autem actus fabularum partimur in scenas, aliamq. primam scenam, aliam secundam, & sic deinceps, dicimus; quam perite & intelligenter id fiat, quaerendum puto. equidem, libere ut dicam, grammaticorum hanc, non poetarum, esse partitionem arbitror: neque credo scenam pro parte actus apud ullum probatum scriptorem, si grammaticos excipias, legi. itaque neque apud Plautum ulla scenarum mentio est; & in Terentij fabulis aliter ab alijs distinguuntur: & in ueteribus Terentij libris, etiam impressis, neque prima, neque secunda, neque ulla omnino scena nominatur.*

5· Sed ijs, quas semper, &c.] *Donatus annotat, fidem & taciturnitatem artes uocari. recte: artes enim antiqui & uitia, & uirtutes uocabant. Te*

rentius

rentius Adelphis: -Primarum artium magis principem. Sallustius: Quae utraq. ijs artibus auxerat, quas supra memoraui. Plures locos congerere me memini ad hanc rem, in scholijs, quae olim Lutetiae in hunc poetam edidi. animaduerto autem, Aristotelem quoque nonnunquam, τῶν τεχνῶν nomine, uirtutes etiam amplecti, ut cum ait in secundo Νικομαχείων. Ταῦτα δὲ πρὸς μὲν τὸ τὰς ἄλλας τέχνας ἔχειν οὐ συναριθμεῖται, πλὴν αὐτὸ τὸ εἰδέναι.

5. -feci, e seruo ut esses libertus mihi.] Aristoteles in Elenchis, Theon in progymnasmatis, & alij pro orationis ambiguae exemplo citant hunc uersum, Ἐγὼ σ᾽ ἔθηκα δοῦλον ὄντ᾽ ἐλεύθερον. quem propter sententiae similitudinem Franciscus Fabricius homo eruditus putauit Menandreum esse, cui hic Terentianus responderet. Cui hac in re non adsentior. Nam in Andria Menandri solus senex principio loquebatur: in Perinthia autem senex cum uxore, quam alloquenti certe uersus ille non conuenit. Hoc autem didici ex Donato exponente locum illum ex prologo,

Quae conuenere, in Andriam ex Perinthia &c.

Tum praeterea Aristoteles Menandri fabulas numquam uiderat: id quod ex ipsa temporum ratione manifesto cognosci potest.

5. -nam istaec commemoratio] Demosthenes περὶ στεφάνου. Τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν, μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τὸ ὀνειδίζειν.

5. Liberius uiuendi fuit potestas; nam antea]

Fuit,

Fuit, in hoc uersu monosyllabum est: & in quarta sede pes ille, qui creticus dicitur. Scio autem super hoc pede, ecquid in iambicum carmen reciperetur, an minus, uarias eruditorum hominum & fuisse, & esse sententias. ego, antequam hac de re statuam, quid in quaestione uersetur, etiam atque etiam considerandum puto. Nam si hoc quaeritur, data quibusdam hominibus in Terentio, & Plauto addendi, detrahendi, inuertendi, mutandique licentia, possint ne omnes illorum poetarum iambici uersus ita componi, ut nusquam in eis creticus reperiatur: facilis & expedita res est: ipse mehercules iambus, si hoc concedatur, ex eo ipso, cui nomen dedit, uersuum genere moueri queat. Sin hoc agitur, nulla temeraria mutatione concessa, multi ne sint in utroque horum poetarum uersus, quorum dimensio explicari sine cretico non queat: ego uero innumerabiles posse proferri arbitror. proferam paucos, ex quibus de ceteris coniectura capiatur.

Ex Andria.

Futura esse audiuit, sed ipse exit foras.

Goueanus particulam, Sed, delere ausus est. parum considerate. poterat alio confugere, & dicere, pronomen, Ipse, interdum priore correpta enunciari.

Ex eadem.

Nihil propter hāc rem: sed est, quod suscenset tibi.
Quidnam est? puerile est. quid est? nihil. quin dic, quid est.

L. Bonũ ingenium narras adoleſcẽtis. M. optumũ.
Eius morte ea ad me lege redierunt bona.
Adeon impotenti eſſe animo, ut, praeter ciuium.

Piget plura, uel ex hac ipſa, uel ex alijs fabulis colligere: ſunt autem innumera: nunc pauca ponam ex Plauto.

Non omnes poſſunt olere unguenta exotica.
Tu tibi iſtos habeas turtures, piſces, aues.
Qui ſcis, an tibi iſtuc eueniat prius, quam mihi?
Quo modo occepiſtis, bibite, pergraecamini.
Tace, atque abi tu rus. ego ire in Piraeeum uolo.

Male autem in hoc uerſu uulgo legitur, Abiturus. porro uerbum Abi poſteriore correpta enunciatur, ut & alijs apud eundem, & apud hunc quoque poetam ſat multis locis. Atque haec e principio Moſtellariae deprompta ſunt omnia. quod ſi quis ceteras fabulas excutiat, non dici poteſt, quam multa ſit deprehenſurus, quae ſine uiolentis, ut ita dixerim, mutationibus creticum effugere non poſſunt. uideo & Anacreontem hoc pede in uerſibus ſuis uſum, cuius illud eſt:

τέρπει με κ' ἀφροδίτη,
καὶ πάλιν θέλω χορεύειν. *Et illud:*
τὰς δὲ φροντίδας μεθῶμεν.

Sed & multis alijs locis eundem pedem adhibuit.

6. Quod plerique omnes] *Priſc. lib. XIIX. admonet, hanc loquendi rationem manaſſe ab Atticis: eos enim ita loqui ſolitos,* πλείονες δὴ πάντες τοῦτο λέγουσιν ἄνθρωποι. *Sic & in Heauton timorumeno,*

– Dixi

-Dixi pleraque omnia.

6. -huc uiciniae.] *Sic in Phormione, Hic uiciniae. Nonius tamen, & Priſcianus, & Cariſius, Huic uiciniae, legunt: certeq. in quattuor ſcriptis libris, quibus uſus ſum, Huic uiciniae, aperte legitur.*

7. Perduxere illuc ſecum,] *Perducuntur, ait Donatus, neceſſitate coacti. Confirmat hanc interpretationem Aſconius, qui in locum illum ex primo accuſationis, Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat: Lenones, inquit, ſunt ſcortorum, perductores etiam inuitarum perſonarum. Perductorum nomine uſus eſt & Tertullianus in Apologetico, his uerbis: Nam ſi qui forte uere de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſunt, primi erunt lenones, perductores, aquarioli, &c.*

7. -quis heri Chryſidem habuit?] *honeſte dictum, pro, Quis cum Chryſide rem habuit. Ita intelligendum eſt illud e nono epiſtolarum: Sed tamen ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit, cum eſſet obiectum, habere eum Laida: Habeo, inquit, non habeor. nam & Graecos ita nonnumquam loqui conſtat. Lucianus.* Τὸν στρατιώτην Θαῒ τὸν ἀκαρνᾶνα, ὃς πάλαι μὲν Ἀβρότονον εἶχεν. *&c.*

7. -ſymbolam dedit] *Ne quis putet a Faerno primo hunc locum ita emendatum eſſe, in editione mea anni* ∞DLIIX *recte legebatur* Symbolam. *Faerni autem emendationes non niſi ſeptennio poſt prodierunt. Sic & paullo infra ex illo uerſu,*

Quid obſtat, cur non uerae fiant? audies.

uideri uoluit primus ſuſtuliſſe uocem Igitur, quae uerſum corrumpebat: quae tamen decennio ante, hoc eſt, anno ∞ DLV· cum primum emendatus a me Venetijs prodijt Terentius, ſublata erat. Quinetiam, niſi me fallit animus, prior eam Goueanus multo ante ſuſtulerat. Sed id Faerni hominis alioquin & eruditi & acuti ingenium fuit. Non libenter probabat aliena: &, quae probabat, malebat uideri ſua.

7. Nam, qui cum ingenijs conflictatur eiuſmodi] *conſentiunt libri. non uideo tamen, quo modo uerſus ſtare poſſit. Si haberem libros, qui me adiuuarent, libenter hoc modo legerem,*
Nam, qui conflictat cum ingenijs eiuſmodi.
Si quidẽ uerbo, Conflicto, uſus eſt et in Phormione.

7. Cum illis, qui amabant Chryſidem,] *puto legendum, Amarant.*

9. - honeſta oratio eſt.] *In quibuſdam libris, Honeſta ratio eſt. ſed hanc ſcripturam & ueteres libri, & ipſa carminis ratio, & Latine loquentium conſuetudo confirmat. Cicero enim, quem ſtudioſe feciſſe conſtat, ut multas loquendi formulas ab hoc poeta deſumptas in ſua ſcripta tranſferret, hac ipſa ſaepe uſus eſt. unius nunc loci uenit in mentem, qui eſt in ſecundo de Officijs: Dictu qu idem eſt procliue: itaque uulgo loquuntur, ſeſe in beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam, ſequi. honeſta oratio eſt: ſed quis eſt tandem, &c.*

11. Nunc haec dies aliam] *Plautinum eſt ex Mercatore:*

catore: Itidem ut tempus anni aetatem aliam, aliud factum conuenit.

11. D. Hoc quid sit? S. omnes qui amant] *In dimetiendo uersu, Qui, non eliditur: sed ita permanet, ut in illo Virgilij:*

Credimus, an qui amāt, ipsi sibi somnia fingūt?

Eius autē generis apud hūc poetā satis multa sunt.

12. - neque tu hoc dicas tibi non praedictum,] *Ita est aperte in meo scripto, & in altero eorum, qui in Antoniana huius ciuitatis bibliotheca asseruantur: estq. haec uera huius loci lectio: quidquid interpres de tribus negationibus commi niscatur. Faernus cum eam omnium ueterum librorum consensu confirmari testatus esset, maluit Donatum sequi: quem ego hoc quidem loco nihil moror. Similis autem huic locus quidam est apud Plautum in Pseudolo.*

13. Audiui Atchillis iamdudum: Lesbiam adduci iubes] *Goueanus de suo addit particulam, Quod: Hoc modo, iamdudum quod Lesbiam adduci iubes. uidelicet quia putauit hos omnes uersus iambicos esse. sed falsus est. sunt enim omnes trochaici quadrati catalectici, praeter postremos duos, qui sunt iambici quadrati acatalectici.*

14. Vxorem decreuit dare sese mi hodie] *In alijs, Decrerat. sed & meus scriptus habet, Decreuit; & is, qui in hac urbe abhinc annos octuaginta duos impressus est: cuius ego posthac testimonio cum utar, ueterem Venetum nominabo. qui quidem liber, etsi, ut illa erant tempora, men*

dis innumerabilibus ſcatet; tamen ita multa, ita praeclara ueteris ſcripturae ueſtigia retinet, incredibile ut mihi auxilium attulerit ad locos perplurimos corrigendos. Decreuit, autem, quin hoc loco melius ſit, dubitari non oportet: loquitur enim non de primo illo conſilio, quo nuptiae in hunc diem conſtitutae fuerant: (tunc enim non eſſet, cur diceret, - Non ne oportuit praeſciſſe me ante? quippe qui id ſatis multo ante cognoſſet, ut e multis huius fabulae locis colligitur) ſed de ſecundo, quod patrem ſubito atque ex tempore cepiſſe arbitratur. Cum haec iam ſcripſiſſem, animaduerti in libro quoque ſcripto Bernardini Lauretani, Decreuit, non Decreuerat, legi. Faernus ait, DECREVIT *in pauciſſimis, ijsq. recentiſſimis libris legi. Ego amplius duodecim ſatis ueteres uidi, in quibus ita ſcriptum eſſet: omninoq. iudico eam ſcripturam rectam & ueram eſſe.*

14. Adeon hominem inuenuſtum] *Inuenuſtum, hoc loco accipere debemus, in rebus amatorijs infortunatum, & infelicem: quod Graeci dicunt,* ἀναφρόδιτον. *Lucianus.* ἐγὼ δὲ καὶ ἄλλως ἀναφρόδιτός εἰμι εἰς τὰ ἐρωτικά. καὶ δύο γοῦν, οὓς μάλιστα ὑπερηγάπησα, τὴν Δάφνην, καὶ τὸν Ὑάκινθον. ἡ μὲν ἀποδιδράσκει με καὶ μισεῖ, ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ δίσκου ἀπώλετο. *& uenuſta interdum eſt* ἡ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς εὐδαιμονία. *Terent. Quis me eſt fortunatior, uenuſtatisq. adeo plenior? Vbi tamen Nonius legit, Vetuſtatis: ſed falſo, ut puto.*

14. Pro

14. Pro deum, atque hominum, nullon ego] *Dimeter est iambicus, quales etiam duos paullo supra octonarijs admiscuit. in alijs legebatur, Pro Deum, atque hominum fidem, nullon ego: quo modo si legas, uersus stare non potest. neque tamen ausus essem illud, Fidem, expungere, nisi primum uidissem abesse a meo scripto; deinde meminissem, eodem modo locutum hunc ipsum poetam in Phormione, - Pro deum immortalium,*
Negat Phanium hanc sibi cognatam esse Demipho? Vbi etiam consimilem e Ciceronis Oeconomico citat interpres locum, Quid igitur, pro deum immortalium, primum eam docebas, quaeso? Aliter Faernus. sed suum cuique.

15 - hoc incertum quorsum accidat:] *Quorsum cadat. Accidere enim uetere latina lingua est cadere. ut, cum dicimus, Accidere ad genua. Ennius:*
Caesa accidisset ad terram abiegna trabes.

17. Quaeso edepol, Charine, quoniam id fieri, quod uis, non potest; Velis id, quod possit.] *Fuit haec sententia summi philosophi Aristotelis, de quo apud Stobaeum haec leguntur.* Ἀριστοτέλης εἶπεν, ἐπειδὴ μὴ γίνεται τὰ πράγματα, ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι, ὡς γίνεται.

18. Neque pol consilij locum habeo, neque auxilij copiam.] *Hunc uersum, ut in omnibus libris repereram, ita reliqui, summa ipsorum consensione permotus: puto tamen ita legendum,*
Neque pol auxilij locum habeo, neque consilij copiam. nam & Charinus hoc ordine proposuerat,

- auxilium, conſilium, expetens. & ipſa uerſus ratio, ut ita legas, exigere uidetur.

21. Egomet continuo ad Chremem] *Liber meus, Ego me continuo ad Chremem: quod mihi quidem multo uenuſtius uidetur.*

23. qui ſe ſciret, non deſerturum,] *Vnum habeo librum ueterem, in quo ſcriptum eſt, Qui ſe ſciret non deſertuiri.*

25. Etenim ipſus ſecum.] *Mirifice placet, quod Faernus ex Donato, & ex auctoritate libri Vaticani uocem Recta deleuit.*

27. Num immemores diſcipuli?] *Alij emẽdant, Num immemores diſcipli? ego nihil mutandum cenſeo: in tertia enim huius carminis ſede eſſe pedem, qui proceleumaticus dicitur: ut in illis,*

Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.
Non fiet: hoc modo ſine te exorem. ſcilicet.
Ita faciam. quid? quid aliud uolui dicere?

nam quod Ioachimus Camerarius & hunc pedem, & amphimacrum ab iambico excludit; mihi quidem multis de cauſſis non placet. eas cauſſas tunc explicabo, cum Plautum a me emendatum in publicum emittam: quod, ſi uita ſuppeditabit, cito fore confido.

27. Adhuc Archilis quae aſſolent, quaeq. oportet] *In ueteribus, Oportent. Sunt autem hic aliquot uerſus, quorum dimenſionem explicare ex ueteribus libris non potui, ex ingenio nolui.*

28. Tibi uideor eſſe, quem tam aperte] *In alijs, Tibi uideor, quem tam aperte. Goueanus intelle*

xerat.

xerat, deesse aliquid ad uersum; feceratque, Tibi uideor ego, quem tam aperte, &c. Quod ego reposui, in ueteribus libris summa consensione reperitur. Hoc quoque, ut alia perplurima, quae iam omisi, quaeq. in sequentibus omittam, quia non tanti esse duco, Faernus decennio post primam Scholiorum meorum editionem sibi uindicauit.

31. Amantium irae amoris integratio est.] *Ita est in libris scriptis: in ueterc tamen Veneto, Reintegratio. apud Seruium in Eclogam* II *legitur, Redintegratio. hanc autem sententiam ita expressit Plautus:*

Verum irae, si quae eueniunt forte huiusmodi
Inter eos, rursum si reuentum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se, quam prius.

Sed & apud Aelianum lib. II. *de uaria historia legisse uideor quiddam ab hoc loco non nimis alienum. id est huiusmodi. Pausaniae Agatho poeta in amoribus ac delicijs fuit. uentitabat autem saepe uterque eorum una ad Archelaum regem, qui & Musarum erat studio deditus, & a rebus amatorijs minime alienus. hic cum illos inter se crebro dissidentes uideret, contemptui esse amatorem amato autumabat. quodam igitur die, Quaeso, inquit, Agatho, quod ingenium tibi est, qui homini uni ex omnibus maxime te diligenti tam frequenter irasceris? Ego dicam tibi, o rex, inquit ille. non enim ista facio, uel quod Pausaniae parum cupiam, uel quod agresti sim, efferoq. ingenio. quin si mihi uel aliunde, uel ex ipso poetices*

studio

ſtudio aliqua affectuum, quibus hominum tentan tur animi, cognitio eſt, eam ego demum ſummam eſſe uoluptatem amantibus duco, cum e diſſenſione in gratiam cum iis, quos amant, redeunt: exploratumq. habeo, nihil ipſis accidere poſſe iucundius. hanc igitur uoluptatem ſaepe Pauſaniae impertior, qui ei frequenter iraſcar: non modico enim gaudio perfunditur, cum me ſibi ſtatim conciliari uidet. id gaudium non perſentiſceret, ſi amor in eum meus uno quaſi tenore, & ſine ulla eiuſmodi offenſione procederet. Haec Agatho: quae rex non mediocriter laudaſſe perhibetur.

34. Inſperante hoc, atque inuito Pamphilo.] *Insperante ſene, Pamphilo autem inuito. Hoc uiſum eſt admonere, quoniam ſunt, qui utrumque ad Pamphilum referant: quo nihil fieri ineptius poteſt.*

35. Hocine credibile eſt, aut memorabile,] *Horum primorum uerſum rationem explicare, difficile eſt. quidam, magna in mutando licentia uſi, fecere iambicos octonarios. ego ueterem ſcripturam cum fide proponere, ut erat, malui.*

36. -hic, ubi opus eſt, Non uerentur;] *Similis eſt ſententia Plauti in Epidico:*

Plerique homines ſunt, quos, cum nihil refert, pudet; ubi pudendum eſt,
Ibi eos deſerit pudor.

37. C. Quis homo iſtuc? P. Dauos. C. Dauos? P. Dauos omnia.] *Diuine hunc uerſum iampridem reſtituerat homo ingenioſiſſimus, Antonius*

Gouea-

Goueanus : qui, etiam si praeterea aliud nihil praestitisset, est tamen, cur ei Terentij amatores multum se debere fateantur.

38. Restitue in quem me accepisti locum] *Genus loquendi est sumptum a iurisconsultis, ut uel pueri uident. Quod autem Faernus maluit,* Restitue quem a me accepisti locum, *alios fortassis inueniet, quibus placeat : mihi certe non probatur.*

38. - hem, st, mane :] *Est sane, cur magnam gratiam habeam Faerno, qui ex locis amplius ducentis (neq. hoc augendi caussa dico. ita esse reperient, si qui laborem conferendi non detrectabunt) quos ego decennio ante ipsum emendaueram, unum saltem repperit, quem mihi nominatim tribuendum putaret. Qui si aut in omnibus, quae ego prior notaueram, idem facere uoluisset, aut quae mea erant, non attingere, aut duplo maior, aut duplo minor liber emendationum ipsius exijsset.*

41. Amicum, amatorem,] *Lucilius apud Nonium : Fauitorem me tibi, amicum, amatorem putes.*

45. Vt quimus, aiunt; quando, ut uolumus, non licet.] *circumfertur apud Graecos senarius, ex quo hic expressus uidetur :*

Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

45. Optume hospes] *Mirum est, quantulae res quantum interdum eruditis hominibus negotium exhibeant. antea cum hic locus ita legeretur,*

Optume hospes pol Crito antiquum obtines :

nonnulli,

nonnulli, qui uerſum non conſtare animaduerterent, contra omnium librorum fidem, ex, Optume, fecerunt, Opportune: quo nihil minus oppor tunum cogitari poterat. Goueanus, & librorum ueterum, & Donati auctoritate neglecta, addidit, Morem: hoc modo,

Morẽ optume hoſpes pol Crito antiquũ obtines. ego, unica litterula adiecta, (quae quam facile a librariȷs omitti potuerit, nemo non uidet: ſaepe enim in hoc genere peccarunt, cum litteram, quae geminanda erat, ſemel tantum ponerent) ea igitur adiecta, locum (uti mea fert opinio) emendaui.

53. S. Ne iſtam multimodis tuam inueniri gaudeo,] *Vocem antiquam, Multimodis, quae nuſquam in uulgatis libris apud hunc poetam legebatur, primus ego, ni fallor, in ueterem quaſi poſſeſſionem reſtitui. de qua & ſimilibus Cicero in Oratore: Sed quid ego uocales? ſine uocalibus ſaepe breuitatis cauſſa contrahebant, ut ita dicerent, Multimodis, Vaſargenteis, Paſſicrinibus, Tectifractis. & in tertio de Oratore citatur ueteris poetae uerſus,*

Multimodis ſum circumuentus, morbo, exſilio, atque inopia.

Hac autem ipſa uoce ſaepe uſum Lucretium, notius eſt, quam ut collectis exemplis patefieri neceſſe ſit.



M. ANTONII. MVRETI IN. EVNVCHVM. TERENTII ARGVMENTVM



IVIS quidam Atheniensis filiam, cui Pamphilae, & filium, cui Chremeti nomen erat, habuit. ex ijs Pamphilam adhuc infantulam praedones rapuere e Sunio, & mercatori cuidam Rhodio uendidere: qui, Rhodum aduectam, meretrici, quam amabat, dono dedit. haec acceptam puellam pari cura ac studio cum Thaide filia coepit educere: nemo ut esset, qui non utramque ex ipsa genitam esse arbitraretur. Thais, quae grandiuscula erat, cum ad eam aetatem peruenisset, ut uiris placere posset; maternam ut sit uiuendi rationem insecuta, cum hospite quodam Athenas uenit, qui eam postea moriens heredem reliquit. interea miles, Thraso nomine, ad eam adiecit animum, cumq. cum ea per aliquod tempus consueuisset, in Cariam profectus est. Thaidis mater per eos dies uitam cum morte commutauerat, fraterq. ipsius Pamphilam uenalem proposuerat, sperans, eam, quod & formosa esset, & fidibus sciret, praeclare a se uenditum iri. forte accidit, ut eo ipso tempore Thaidis amator miles esset Rhodi: qui, harum omnium rerum inscius, Pamphilam emit; ut esset, quod amicae, Athenas reuersus, dono daret. Thais, profecto milite, aliam condicionem quaesierat, adiunxeratq. sibi Phaedriam,

ado-

adolescentem Athenienſem, Lachetis filium. inaudiuerat interim etiam aliquid de Pamphila; iamq. cum fratre ipſius Chremete aliquoties collocuta, eo peruenerat, ut non dubijs indicijs intelligeret, ſororem illius eſſe, quae ſecum in maternis aedibus educata foret. Summopere cupiebat igitur occaſionem ſibi aliquam dari, qua Pamphilam ſuis reſtitueret, eodemq. facto & puellam ſummo afficeret beneficio, & propinquorum illius amicitia fortunas conſtabiliret ſuas. Redit miles: ſed cum cognoſſet de amore Phaedriae, puellam ſe, niſi eo repulſo, daturum negat. Thais, quid ageret, neſcire: nam & Phaedriam amabat ex animo, & Pamphilae recipiendae gratia quiduis ſibi faciundum putabat. tandem, cum ſperaret, ſe poſtea facile conſilium ſuum ei ipſi, cuius animum offenderet, probaturam, Phaedriam, ut militi gratificaretur, excludit. poſtridie accerſito ei, atque aegreferenti, tandem ſe purgat, multisq. precibus ab eo impetrat, ut, per biduum, priores partes habere Trhaſonem ſineret: ubi primum eripuiſſet puellam, nihil ſibi cum illo amplius fore. Phaedria, ut huius bidui moleſtiam aequiore animo ferret, rus ſibi abeundum eſſe ſtatuit: itaque abiens, mandat Parmenoni, ut eunuchum, et Aethiopiſſam ad Thaidem, cui eos emerat, ducerec. Pamphilam, cum ex aedibus Thraſonis ad Thaidem deduceretur, conſpicatus in uia Phaedriae frater natu minor Chaerea, ita eius amore flagrare coepit, nihil ut pēſi haberet, dum ea

poti-

potiretur: neque prius conquieuit, quam, eius rei caussa, ad Thaidem pro eunucho deductus est. quid plura? Thaide ad cenam cum milite profecta, uirgini a Chaerea per uim uitium offertur. turbae undiq. mirabiles, donec, tota re patefacta, Thais a Lachete in fidem & clientelam recipitur, Chaerea agnitam Pamphilam duxit uxorem. Thraso diu illusus, tandem in amoris meretricij partem, Gnathonis parasiti opera, admittitur.

SCHOLIA

60. Si quisquam est, qui placere se studeat bonis, Quam plurimis,] *Iam primum admonuit Aemilius Ferrettus, Quam plurimis, hoc loco duas esse dictiones: sensumq. esse: Si quisquam est, qui suum studium eo referat, ut bonis potius, quam ut plurimis placeat, &c. deest igitur particula, Potius; ut in illo Plauti ex Rudente.*

- certum est moriri, quam hunc pati lenonem in
me grassari.

Sic etiam saepe loquuntur Graeci. Homerus,

Αυτὸν ἔχοντά σε βούλομ᾽ ἐπαυρέμεν, ἢ τινὰ τῶνδε.

Idem: Βούλομ᾽ ἐγὼ λαὸν σοὸν ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Alexander in epistola ad Aristotelem: Εγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι, διαφέρειν. *Contra, quae hic particula deest, ea saepe alijs in sermone Latino locis redundat. Cicero in Diuinatione: Tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos,*

esse

esse malunt? Plautus Sticho :

Si manere hic sese malint potius, quam alio nubere. Terentius Adelphis :

Quin, quidquid possem, mallem auferre potius in praesentia. *Vlpianus : Si actor malit dominum potius conuenire. Palladius de insitione: Malo operam eius exspectare potius, quam timere.*

60. Existimauit esse, sic existimet.] *Ex glossemate alicuius barbari, & inepti magistri irrepserat in hunc uersum uox, Sciat : hoc modo, Sic existimet, sciat. id collegi primum ex uetere libro Veneto, & quattuor scriptis, quibus usus sum : in quibus erat omnibus,*

Existimauit esse, sic existimet, sciat, praesumat. Vt appareret, primum uerbum Terentii esse, reliqua duo ex eodem fonte manasse. hoc tantum discriminis animaduerti, quod in uetere Veneto, pro, Existimauit, perperam legitur, Existimat. sed & in libro uiri clarissimi, Petri Bembi, locus hic totus ita scriptus, uti eum nos emendauimus, legitur. Vereor tamen, ne pro, Existimauit, legendum sit potius, Existimabit.

60. -quae nunc condonabitur] *Non damno, quod Iacobus Raeuardus de hoc loco sensit : sed tamen alteram illam usitatam interpretationem ueriorem puto.*

61. Colax Menandri est.] *In ea fabula Menander, ut traditum est, adulatorum ingenia accuratissime expresserat. Athenaeus libro* VI. Κεχαρακτήρικε δὲ ὡς ἔνι μάλιστα ἐπιμελῶς τὸν κόλακα

Μέναvδρος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι.

62. Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita, Here] *Continuatam esse hanc Parmenonis orationem non dubito: ideoque interiecta personarum nomina sustuli. Libet uersus apponere, quibus hunc locum expressit Horatius.*

Porrigis irato puero cum poma, recusat.
Sume catelle. negat. si non des, optat. amator
Exclusus qui distat? agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non accersitus; & haeret
Inuisis foribus: nec nunc, cum me uocet ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, reuocat. redeam? non, si obsecret. ecce
Seruus non paullo sapientior. O here, quae res
Nec modum habet, neque consiliũ, ratione modoq.
Tractari non uult. in amore haec sunt mala; bellũ,
Pax rursum. haec si quis, tempestatis prope ritu
Mobilia, & caeca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa; sibi nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione, modoque.

Sed & Persius:

Quidnã igitur faciã? ne nunc, cũ accersor, et ultro
Supplicet, accedam? &c.

64. Quae uera audiui] *Similis locus in epistola quadam Heracleti:* Πολλοὶ οὐ διαφέρουσι κεραμίων σαθρῶν, ὡς μηδὲν στέγειν δύνασθαι, ἀλλ᾽ ὑπὸ γλωσσαλγίας διαῤῥεῖν. 67. --- nuncubi meam Benignitatem sensisti in te claudier?] *Magnam materiam sermonum dedit hic locus uentosis quibusdam hominibus, cum & Paullus Manutius dice-*

ret ſe audiſſe de Faerno in optimo libro legi Caluier*; & ego id ei adfirmanti credidiſſem. Huius autem* μνημονικοῦ ἁμαρτήματος *alterutri eorum occaſionem dederat locus quidã ex Adelphis, in quo illud antiquum uerbum a quibuſdam agnoſci, Donatus ipſe teſtatur. Sed, cum, ſi quid in hac re peccatum erat, ſecunda ſtatim Scholiorum meorum editione correctum eſſet, non oportuit, neque uentrioſum illum, qui nihil in uita, niſi maledicere, didicerat, neque alium quendam ineptum, quem nominare nolo, in ea re poſtea iactare ſe, & aut ſingularis exempli uiro Manutio, aut mihi, cuius nullam in hac re culpam eſſe conſtabat, tam petulanter inſultare. Quorum ego ſi uiciſſim ſcripta excutere, & quos in eis iampridem notaui, plurimos, ac turpiſſimos errores exagitare uellem, non metuerem, ne mihi deeſſet oratio. Sed ne hoc Deus optimus maximus ſirit, ut quidquam, uel laceſſitus, aut ulciſcendi mei, aut alienae exiſtimationis minuendae cauſſa faciam. Adiuuabo, ſi qua re potero, ſtudia litterarum: errata neq. mea defendam, neque aliena inſectabor. Eadem moderatione ſi erga me utentur alij, gaudebo; ſin minus, ſpero tamen fore, ut numquam me aliena improbitas a ſuſcepto conſilio demoueat, & ut magis illos aliquando paeniteat iniquitatis ſuae, quam me aequitatis meae.*

64. – utinam eſſet mihi
Pars aequa amoris tecum,] *Simile eſt uotum illud Theocriti:*

Εἰδ'

Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἔρωτες
Νῷϊν.

72. Viden os ſum, & cibus quid faciat alienus?] *Id eſt, uiden tu, cuiuſmodi homines euadant iſti, qui uiuunt ore ſuo, alieno cibo? eſt autem haec feſtiua & elegans deſcriptio paraſitorum. Sum, Sam, Sis, pro Suum, Suam, Suis, ueteres dicebant. Suo cibo uiuere dicuntur, qui ſumptu ſuo uiuunt. Plautus: Veneri cibo meo ſeruio. quomodo & Diuus Paulus in epiſt. ad Corinthios priore,* τὶς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις; *Iis opponuntur, qui uiuunt alieno cibo: ſiue, ut alius poeta loquitur, aliena quadra: quiq. ad menſam ſui nihil praeter os & uentrem adferunt. Hanc horum uerborum uerissimam & elegantissimam ſententiam primus litteris prodidit Carolus Langius: quam Faernus non intelligens, nimis arroganter repudiauit.*

72. Sed Parmenonē ante oſtium Thaidis triſtem uideo,] *Verſum non conſtare, omnes, ut opinor, uident. ego uerebar, ne Terentius ſcripsiſſet, Sed Parmenonem ante oſtium meretricis triſtem uideo: poſteaq. ad nomen, Meretricis, appoſita eſſet gloſſa, Thaidis: quae deinde irrepsiſſet in uerſum. Faernus, ne mihi hoc quoque acceptum ferre cogeretur, dicere maluit, quoſdam pro Thaidis legere Thaeidis* τετρασυλλάβως, *idq. ſe non improbare. Eſt haec noua quaedam dialectos, & mihi quidem incognita. Sed illi ut ueteres libros, ita nouas dialectos fingere fortaſsis licuerit.*

73. Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,] *Hic quoque uersus non constat. constabit autem, si legas hoc modo:*

Qui mihi nũc uno digitulo forẽ aperis fortunatus,
Nae tu istam faxo calcibus saepe insultabis frustra. Idq. ego uerum esse arbitror. eodemq. modo corrigendum esse uersum ex Heauton timorumeno, qui cum uulgo ita legatur:

Mane, mane. quid est, quod tam a nobis grauiter crepuere fores?

ita legendus uidetur:

Mane, mane. quid est, quod tam a nobis grauiter crepuit foris?

Omnino tamẽ ueteres libri cũ uulgatis consentiũt.

74. Facete dictum] *Plautinum est, e Captiuis:*
Propterea te uocarier ad cenam uolo.
Facete dictum.

75. Cum in cellulam ad te patris penum omnẽ] *Hanc lectionem & libro quincto Priscianus agnoscit, & consentiens librorum ueterum confirmat auctoritas.*

76. Haud similis uirgo est uirginum nostrarum:] *Ita solitas educari puellas Athenis, ut hic dicitur, significat et Xenophon principio* τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας.

79. - P. iubes ne? C. iubeo, cogo, atque impero. P. Numquam defugiã auctoritatem: sequere. C. di uortant bene] *Defugere auctoritatem, quid sit, uideo etiam ab eruditis hominibus ignorari. ualet, cum ipse rei alicuius faciundae auctor fueris,*

ris, eiusq. euentum in te receperis, id infitiari postea, & fateri nolle, eam auctore te factam. liquido constare hoc, propositis exemplis, potest. Plautus:

Suspende, uinci, uerbera: auctor sum, sino,
M. Si auctoritatem postea defugeris;
Vbi dissolutus tu sies, ego pendeam.

hoc enim significat: si tu postea infitiari uolueris, te harum mihi rerum auctorem fuisse. Cicero pro Sylla: Itaque attende iam, Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem consulatus mei. idest, quam non recusem, quo minus ea, quae, me consule, in opprimenda coniuratione gesta sunt, ea me auctore omnia gesta esse dicantur. haec illius orationis cum sit uis, puto, hoc quoque loco, illud, Numquam defugiam auctoritatem, non a Parmenone, sed a Chaerea dici, personarumque nomina ita distingui oportere.

P. Iubes ne? C. iubeo, cogo, atque impero.
Numquam defugiam auctoritatem. P. sequere. di uortant bene.

Vt interroganti seruo ita respondeat Chaerea: Ego uero iubeo, cogo, atque impero: neque umquam recusabo, quo minus tu, quidquid huius factum erit, auctore atque impulsore me factum esse dicas. tum seruus: Sequere, inquit: di uortant bene. nam haec quoque postrema uerba non tam Chaereae cupido ac confidenti conueniunt, quam seruo dubio animi, & inceptionis tam periculosae euentum extimescenti.

80. Gestare.] *Faernus mauult, Gestire, & ualde confidenter pronunciat, omnes libros & ueteres, & recentes ita habere: quod uerum non est. Mihi magis probatur, Gestare.*

83. — fac periclum in litteris,
Fac in palaestra, in musicis: quae liberum
Scire aequom est adolescẽtem, sollertẽ dabo.] *Hinc sciri potest, quibus olim studijs liberi adolescentes instituerentur. haec autem ipsa ponit Aristoteles; additque praeterea pingendi artem. eius uerba sunt ex IIX.* πολιτικῶν. Ἔστι δὲ τέτταρα σχεδὸν, ἃ παιδεύειν εἰώθασι, γράμματα, καὶ γυμναστικὴν, καὶ μουσικὴν, καὶ τέταρτον ἔνιοι γραφικήν. *Est & apud Xenophontem, & apud Platonem huius consuetudinis mentio.*

86. Quid hoc hominis?] *Faernus, dum totus est in synizesesin, & in synaloephis notandis, dumq. catalecticos & acatalecticos adsidue inculcans, librum sane quidem hypercatalecticum facit, non animaduertit, locum hunc neque satis emendatum esse, neque, ut uulgo legitur, intelligi posse. Ego, cui ab illis grauioribus plus otij est, eum & emendabo, & interpretabor. Antipho, qui Chaeream ex Thaidis aedibus eunuchi ornatu exeuntem uideret, primum quidem eum non agnoscit: deinde agnito, miratur quid acciderit, ueretur q. ne quid ei contigerit mali. Ait igitur,* Quid hoc ominis? qui hic ornatus est? *Ominis, enim plane legendum, non, Hominis: atque ita etiam Donatum legere uidebi[s,] si quis uerba ipsius attente*

consi-

considerèt. Tum addit,

Quid illud mali est? nequeo satis mirari,
neque conijcere.
Nisi, quidquid est, procul hinc. Libet prius,
quid sit, sciscitari.

Ita enim interpungendus est locus ille, non ut uulgo solet. Verba autem illa Procul hinc, quae nemo, quod sciam, recte explicauit, idem ualent, quod procul a me: deprecatur enim a se Antipho quidquid est illud mali, quod accidisse Chaereae suspicatur. Estq. genus loquendi illis simile, Au, obsecro te, istuc inimicis siet, & , Hostium uxores pueriq. caecos Sentiant motus orientis haedi. & illi Catulliano,

Procul a mea tuus sit furor omnis hera domo.
Alios age incitatos, alios age rabidos.

90. perstrepunt, ita ut fit, domini ubi absunt.] *Simile quiddam est apud Xenophontem quarto paedias.* Οἱ γὰρ οἰκέται τῶν μήδων, ἅτε τῶν δεσποτῶν ἀπεληλυθότων, ἀνειμένως καὶ ἔπινον καὶ ἐθορύβουν. *Sed hoc, etiam si neque Xenophon, neque Terentius dixisset, quotidie experimur.*

102. Omnia prius experiri uerbis, quam armis, sapientem decet.] *A libris impressis aberat uox, Verbis: qua tamen detracta, claudicat uersus. in meo scripto, & in duobus Antonianis erat, Omnia prius experiri consilio, quam armis, sapientem decet. at illud uersus ratio non patiebatur. Verbis, est in uetere Veneto, & in scripto, cuius mihi copiam fecit honestissimus, & omni liberali*

doctrina politissimus adolescens, Bernardinus Lauretanus. Si cui tamen illud, Consilio, magis arridet, poterit ita legere, ut in quibusdam impressis,

Consilio omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.

103. Faciam huius loci, diique, meiq. semper memineris.] *Plautinus uersus est e Captiuis, Faciam huius dij, locique, meique semper meminerit. Huius generis multa consulto praetermitto, ne quid delibem, ac praecerpam, ex ea gratia, quam apud omnes propediem, ut spero, sibi conciliaturus est Iulius Iacobonius, Interamnas, iuuenis & eruditus, & industrius: qui, auctore, & impulsore me, Commentarium scribere exorsus est, in quem congerit ea, quae & Terentius ex alijs, & deinde ex Terentio alij scriptores imitati uidentur.*

106. Aufugistin? Ch. hera, factum. Th. satin id tibi placet? Ch. Non. Th. credin te impune habiturum?] *In alijs, Credin te impune abiturum? ego cur hoc maluerim, caussa est, quod infra quoque Terentium ita locutum uideo, Siquidem istuc impune habueris.*

110. Quae, cum amatore suo cum cenant, liguriunt.] *Hic certe est creticus primo loco. sed eum ut effugeret Goueanus, legit hoc modo,*

Cum amatore suo quae cum cenant, liguriunt.

neque animaduertit, se eodem recidere. uerbum enim, Ligurio, secundam syllabam producit. Horatius:

Seme-

Semesos pisces, tepidumque ligurierat ius. *neque desunt eruditi homines, qui R littera geminata scribendum censeant. Sed placet quod Faernus antiquis libris auctoribus delet uocem, Suo.*

110. Quae futura exempla] *Notum est ex Platone, tria esse poenarum genera,* κόλασιν, τιμωρίαν, παράδειγμα: *de quibus est etiam aliquid apud Gellium. ex iis intelligi potest, quid hoc, & similibus locis exempli nomen ualeat: itemque quam proprie inscripta sit illa altera fabula.* ἑαυτὸν τιμωρούμενος.

111. - nunc minatur porro sese id, quod moechis solet:] *Quid autem id est, quod deprehensis moechis fieri solebat? dixi equidem alibi, sed hic quoque non omittendum uidetur. Insperso cinere calido nates eis depilabant: imittebantq. in sedem raphanos. Aristophanes* Νεφέλαις: Τί δ', ἢν ῥαφανιδωθῇ γε πειθόμενός σοι, τέφρᾳ τε τιλθῇ, ἕξει τινὰ γνώμην λέγειν, τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι; *Vbi interpres:* Οὕτω, *inquit,* τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς ἠκίζοντο. ῥαφανίδας λαμβάνοντες, καθίεσαν εἰς τοὺς πρωκτοὺς τούτων. καὶ παρατίλλοντες αὐτούς, τέφραν θερμὴν ἐπέπασον, βασάνους ἱκανὰς ἐργαζόμενοι. *Lucianus:* Ἐν Ἀρμενίᾳ μοιχιδίων ἁλοὺς μάλα πολλὰς πληγὰς ἔλαβε, καὶ τέλος κατὰ τοῦ τέγους ἁλούμενος, διέφυγε, ῥαφανῖδι τὴν πυγὴν βεβυσμένος.

113. An in Astu uenit?] *Eadem uoce usus est & M. Tullius in secundo de legibus: Vestri Attici, prius quam eos Theseus demigrare ex agris, & in Astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, etc.*

117. C. Satis

117. C. Satis credo. nihil est Thaide hac, frater, tua dignius.] *Hunc uersum quidam sine caussa mutare uoluerunt: quod nescirent, uocem, Nihil, etiam producta posteriore syllaba enunciari. Exemplum autem est & apud Ouidium:*

Morte nihil opus est, nihil Icariotide tela.

118. Si in platea hac te offendero post umquã, quod dicas mihi,] *Ex glossemate aliquo in ordinem uerborum Terentij defluxerant uoces duae, Nihil est: quas cum alijs de caussis, tum quia uersum manifesto corrumpebant, sustuli. est autem particula, Quod, ita posita, ut in illo Plauti:*

Quod ille gallinã aut columbã se sectari, aut simiã
Dicat; perijstis, nisi usque ad mortẽ multatis male.

De quo, alijsq. similibus commemoraui quodam loco in Catullum. Sed & Terentius ipse supra ita locutus est: Sane, quod tibi nunc uideatur esse, hic nebulo magnus est. & Cicero in Pisonem: Nam quod uobis iste, tantum modo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc uero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse uideatur: nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, nihil nequius. Hoc loco cum Faernum tamquam in re adhuc impedita & obscura luctari uideo, & cum se in omnes partes diu multumq. uersauit, tandem pro nouo & suo adferre id ipsum, quod ego & hic, & antea in commentario in Catullum tradideram, mirarer, nisi cogitarem, hunc uidelicet esse illum salem, quem

habere oportet eos, qui gloriam alieno labore partam uerbis in ſe transferre meditantur.

119. Hunc comedendum, & deridendum uobis praebeo. Ch. placet.] *Quia facile ſuſpicor, fore permultos, qui me a peruulgata huius loci lectione receſſiſſe mirentur: iccirco hanc emendationem meam diligenter mihi conſtituendam ac conſtabiliendam puto. ante me igitur ita in impreſſis paene omnibus legebatur:*

Hunc comedēdum, & deridendū uobis propino.

Atque ego mirabar equidem, qua ratione dictum eſſet, Propinare aliquem comedendum: cum in ipſo Propinandi uerbo bibendi ſit, non comedendi, ſignificatio. nam ſi ſolum illud alterum fuiſſet; poterat fortaſſe ita dictum uideri, Propinare aliquem deridendum, ut apud Demoſthenem, Προπίνειν τὴν ἑλλάδα. *& apud Euripidem in Rhoeſo:*

Ελλησιν ἡμῶν προύπιες, τὸ σὸν μέρος.

Certe quidem, Comedēdum propinare, ſatis lepide dici nō poſſe opinabar. uiderat hoc neſcio quis, qui libros Sebaſtiani Gryphij, anno ∞DXLIV. *impreſſos, correxerat: itaque in illis ſcriptum reperias:*

Hunc comedendum, & bibendū uobis propino.

at eum oportet ualde imperitum dimetiendorū uerſuum fuiſſe: profecto enim, ſi aliquid in hoc genere ualuiſſet, poterat digitis, ut ille ait, & aure deprehendere, multum, ea mutatione facta, ad legitimam uerſus menſuram deſiderari. mouebat ipſa me quoque metri ratio: Propino enim breuē habet primam ſyllabam, longam ſecundam. Martialis:

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humane facis, Herme, non superbe.

Ergo, si quis id uerbum retineat, erit iambus in trochaico uersu: quod ita absurdum est, ualde ut mirer, quid adducere potuerit insigniter eruditum hominem Camerarium, ut affirmaret, id interdum fieri posse. neque tamen quidquam hoc loco mouere ausus essem sine ueterum librorũ testimonio. quattuor, cum haec scriberem, ad manum habebam calamo exaratos libros. in ijs omnibus scriptũ erat: Hunc comedendum, & deridendum uobis praebeo. itaque sustinendam amplius sententiam non putaui: sed, omni dubitatione remota, reponendum id uerbum, quod & orationis concinnitas, & metri ratio, & librorum ueterum consentiens auctoritas comprobaret. ac fieri fortasse possit, ut quispiam, ne hanc emendationem accipiat, Donati interpretatione moueatur; qui hoc uerbum explicans, Facete, inquit, dixit, ut parasitus, & quasi de conuiuio loqueretur. ita enim legendum est. sed eam ipsam si quis accurate consideret, uidebit, ad praebendi nihilominus, quam ad propinandi, uerbum posse accommodari. praebere enim apte admodum in epulis conuiuijsq. dicitur. Cicero ad Q. Fratrem: Sponsalia Crassipedi praebui. Sed quoniam Faernus aliquot argumentis uulgatam scripturam confirmare, eam autem quae mihi probatur labefactare conatus est, faciendum est mihi, ut ad ea, quae ab ipso adferuntur, breuiter respondeã. Sunt autem quattuor. Primum, in recentissimo quoque

& pessi-

& pessimo libro scriptum esse Praebeo: in Bembino autem & aliis omnibus antiquis Propino. Ego de Bembino nihil adfirmare possum; propterea quod eum semel tantum uidi: neque umquam eius arbitratu meo tractandi mihi potestas fuit. Ceteri quoscumq. uidere potui, uidi autem & permultos & perantiquos, aperte, omnibus litteris, sine ullo uestigio liturae habent, Praebeo. Sed mirabilis hac in re Faernus fuit. Vt equisones solent, inspectis equorum dentibus, de eorum aetate pronunciare, ita ipse, inspectis ueterum librorum chartis, de illorum antiquitate iudicabat: ut non dubitaret dicere, hunc illo esse decem, aut uiginti, aut triginta annis uetustiorem: neque id ita sibi uideri dicebat: sed ita adfirmate et adseueranter loquebatur, quasi ipse, cum illi omnes scriberentur, interfuisset. Atque hoc loco operaepretium est, narrare quiddam, quod mihi contigit. Quo primum anno Romam ueni, renunciatum est mihi a multis, Faernum de opera a me in purgandis Terentij fabulis collocata pessime & sentire loqui: neq. tamen particulatim cuiquam indicare, quibus a me in locis praecipue peccatum esset: uniuerse tantum ac generatim dicere, totum illum laborem meum inutilem fuisse: adornari a se editionem Terentij, ex qua cognituri essent omnes mortales, quid inter transalpini homuncionis amusiam, & suam in uetustis libris exercitationem cum singulari Latinae linguae & comicorum uersuum intelligentia coniunctam interesset. Quid facerem? mussabam, &

defendendi mei caussa uix uerbum unum facere audebam: tum, ne contentionem cum quoquam susciperem: tum, quia eo sum ingenio, ut, qui me alicubi errasse dicunt, nemini citius aut facilius id persuadeant, quam mihi. Solabar me tamen conscientia optimae uoluntatis: quam cum omnibus notam esse sperarem, facile putabam mihi ignotum iri, etiam si minus quod uolueram praestitissem. Venit interea ad me amicus quidam meus, qui se praesente rogatum ab aliquot eruditis hominibus Faernum, ut ex tot locis a me deprauatis unum aliquem insignem detegeret, de hoc ipso, in quo nunc uersamur, multa uerba fecisse narrauit, cum ita diceret, magna me temeritate ausum discedere ab auctoritate ueterum librorum, quibus in omnibus scriptum esset Propino. Aegrotabat tum Faernus. habebat autem bibliothecam suam, non in aedibus Io. Angeli Medicis Cardinalis, qui paullo post id tempus Pius Quartus Pontifex Maximus fuit, cuius ipse in familia erat, sed in aliis quibusdam satis remotis: eamque, dum sibi melius factum esset, amico custodiendam dederat. Ago cum eo, ut eius mihi semel inspiciendae copiam faciat. Quod cum ille haud grauate annuisset, ut primum in eam ingressus sum, Quaeso, inquam, adde hoc quoque tuae huic erga me φιλοφροσύνῃ, ut ostendas mihi quaecumque hic sunt Terentij exemplaria. Ille, indice inspecto, cum e forulo quodam quattuor libros sane ueteres protulisset, Praeter hos, inquit, alius hic huius generis nullus est. Eos igitur

tur euoluendo, cum ad hunc locum peruenissem, contacta amici auricula, Facito, inquam, memineris, in his quoque omnibus Praebeo, non Propino, scriptum esse. Homo, qui & ipse de illo Faerni sermone aliquid inaudisset, subrisit, & neque nouum sibi hoc, neque mirum accidisse respondit. Sed & ex Vaticana bibliotheca libros aliquot ueteres uidi, in quibus eadem scriptura reperitur. Atque ita responsum sit ad id, quod ait Faernus de librorum ueterum auctoritate. Alterum argumentum est de uerbis Donati, qui, cum adfirmet parasitum facete quasi de conuiuio loqui, ex eo effici putat Faernus, ut Propino legendum sit, non Praebeo. Ego autem Praebere conuiuium, recte dici puto; Propinare conuiuium, non puto. Tertium est, si faciamus dixisse parasitum, Hunc deridendum uobis praebeo, nihil faceti in dicto fore. Ad quod ita respondeo, iniuste fecisse Faernum, qui dictum mutilum ac decurtatum protulerit. Integrum enim est, Hunc comedendum & deridendum uobis praebeo. Facetia autem dicti in hoc consistit, quod de milite ita ut de pecude aliqua loquitur, quam caesam & coctam in conuiuio appositurus esset. Comedemus, inquit, eum, atq. insuper deridebimus. At si quis legat Propino, aeque facete dictum erit, atque si diceretur, Hunc comedendum uobis praebebo. quod mihi quidem non sane perfacetum uidetur. Postremo negat uersui propterea timendum, quod uerbi Propino prima syllaba breuis sit: esse enim communem: idque pro

bat

bat uersibus aliquot allatis ex Martiale. Egò autem respondeo, Martialem, Iuuenalem, Statium, aliosque sequioris aeui poetas in Graecis dictionibus multa quasi pro suo iure peccasse: quod omnibus ita notum esse arbitror, ut exempla cumulare pigeat: ueteres autem multo in ea re moderatiores & religiosiores fuisse. Iam uerbi Propino si quis primam syllabam natura breuem esse nesciat, ad eos, qui prima elementa docent, ut ab eis id discat, ablegandus est. Magis omnino me mouet, quod Nonius aperte legere uidetur, Propino. quod si animaduertisset Faernus, hic illi Achilles, ut aiunt, ad eam scripturam defendendam fuisset. Ego, quid respondeam, habeo. Sed in aliud tempus, dum certius aliquid reperiam, reseruare malo.



M. ANTONII. MVRETI IN. HEAVTON TIMORV-MENON. TERENTII

ARGVMENTVM



HREMES *Sostratae uxori grauidae imperat, si puellam pareret, ut eam statim interficeret. fuit haec immanitas in ueterum moribus, ut, cum fera nulla sit, quae fetus suos non diligat, ipsi, quos alere nollent liberos, eos recens natos aut interficere, aut exponere fas putarent. Sostrata, puellam enixa, (ut est maternus semper animus clementior) uitam ei adimere non sustinuit: sed pauperculae cuidam anui Corinthiae, Philterae nomine, exponendam dedit: etiamque, muliebri quadam superstitione, anulum de digito detractum suo, iussit, ut una cum puella exponeret. id, quod tum stulte factum uideri poterat, postea puellae saluti fuit. eius enim anuli ope tandem agnita est a suis. anus acceptam puellam, Antiphilam nominat, educatq. ut suã. eam, cum adoleuisset, anusq. illius filia putaretur, Menedemi filius, Clinia perdite amare coepit; prope iam ut pro uxore haberet. quod ubi resciuit pater ita uiolenter tulit, ut filium, assiduitate iurgandi, clam, militatum in Asiam abire coegerit. tũ uero qui filij amorẽ iniquo animo tulerat, multo iniquiore eiusdem absentiam ferre coepit. itaq. ut de se supplicium absenti filio daret, qui eum saeuitia*

d *sua*

sua exegisset ex aedibus, aedes, supellectilem, familiam uendit, praeter, qui serui ad opus ruri faciendum utiles erant: ingentemq. sibi agrum comparat, ubi a prima luce ad noctem non seruos modo exerceret, uerum etiam, homo sexagenarius, senectutem miseris modis excruciaret suam. profecto Clinia, Philtere, quae, ut dixi, Antiphilae putabatur mater, extremum uitae diem morte confecit. Clinia, cum iam menses tres afuisset, amicae desiderio reuersus, non ausus est patri se in conspectum dare, antiquam illius asperitatem ueritus: sed ad Clitiphonem, Chremetis filium, diuertit; quicum magna ipsi a puero familiaritas intercesserat. Clitipho, sodalis reditu laetus, Syrum, & Dromonem seruos (iam autem aduesperascebat) in urbem, ad accersendam Antiphilam, mittit. exposuerat eo ipso die Menedemus Chremeti, quanto sibi desiderio esset filius: parum ut absuerit, quin Chremes, cum primum de reditu Cliniae accepit, mitteret, qui ei nunciarent. continuit tamen se in diem posterum, quod ita magis e re illius fore censeret. Syrus, summa seruus & audacia, & astutia, qui Antiphilam tantum accersere iussus esset, etiam Bacchidem adduxit. erat haec meretrix procax, potens, sumptuosa, nobilis, cuius se amore haud ita pridem irretierat Clitipho. quo autem res Chremetem lateret, hoc consilium capiunt, ut Bacchidem quidem amicam Cliniae, Antiphilam uero unam de illius ancillis esse simularent. postridie mane Chremes ad Menedemum diluculo profi-

cisci-

ciſcitur, & redijſſe Cliniam nunciat. ille gaudio amens, filiam iamiam uidere, iamiam amplecti, iamiam ei ſe ſuaq. omnia permittere cupiebat. at Chremes, Caue, inquit, faxis: iſtoc enim modo & te, & eum, & rem una perdideris tuam. ſimul ei oſtendit, quot incommoda capturus ſit, ſi tam molli eſſe ſe, tamq. infracto animo oſtenderit. Cliniae amicam (eam enim Bacchidem exiſtimabat) non iam pauperculam eſſe, aut paruo contentam, ut antea; ſed ſumptuoſam, gemmis atque auro collucentem, cum familia numeroſiſſima. Vna, inquit, mihi nox tantum non paupertatem attulit: nedum tu te cenſeas oneri ferundo fore, ſi te illi perpetuo ſumptibus ſuppeditare oporteat. quin tu ita potius agito. humane quidem & comiter excipito filium: iſtuc tamen tam impotens illius deſiderium occultum habeto. tum, ſi ille, quod amicae det, ut habeat, machinam aduerſum te aliquam ſtruet, falli te ſinito. ita & eum commodius retinebis apud te, & ſumptuum facies minus. haec Chremes, neſcius (ut ſunt humana) oculatum foris eſſe ſe, caecum domi. interea enim meditabatur Syrus, decem minas quas Bacchidi pollicitus erat dare, eas quo modo illi a Chremete ipſo conficeret. iamq. inibi erat, cum eum Chremes arreptum blande compellat, hortaturque, aliquam ad Menedemum fallaciam moliatur. iniecit in ſermone Syrus mendacium a ſe pro tempore confictum; anum Corinthiam, Antiphilae (ita enim putabatur) matrem, mille drachmarum mutuo accepiſſe a Bacchi

de : ea mortua, puellam pro pecunia illa arrhaboni relictam. dum haec aguntur, anulum suum agnouit Sostrata, eiusq. indicio, Antiphilam filiam suam esse cognouit. gaudio exsiliens, omnem rem defert ad uirum; qui, ea leuiter obiurgata, repertam tamen filiam, ipse quoque gauisus est. iam omnia in tranquillo erant; absq. Bacchide fuisset. sed et illi quoquo modo decem excudendae erant argēti minae; et periculum erat, ne aliqua eam Chremes filij amicam esse rescisceret. ibi Syrus audax consiliũ init, quo modo et utrique seni rem, ut erat, patefaceret, et commode se e tam impedito negotio expediret: primũ igitur Chremeti, Reperi, inquit, quo modo argentum a Menedemo eripiam. dicemus ei, Bacchidem hanc tui Clitiphonis amicam esse: orabimusque, ut eam domi suae dies aliquot esse patiatur, teq. id celatum uelit. porro Clinia filiae tuae, quae modo reperta est, formam sibi complacitam esse dicet, eamq. petet uxorem. Quid tum? pecuniam, inquit, petet a patre suo, qui nouae nuptae ornamenta coemat: eam pecuniam numeraturus est Bacchidi. iam autem ad Menedemum, Syri hortatu, transierat Bacchis, & eo pompam omnem suam transduxerat. Chremes primo non satis consilium illud probare. at illam certe, inquit Syrus, pecuniam, pro qua filia tua opposita erat pignori, quin dissoluas, facere honeste non potes. Ego uero, inquit Chremes, & libenter quidem. Immo uero, infit Syrus, dato eam Clitiphoni, qui ad Bacchidem deferat. ita enim facilius credet Me

nedemus,

nedemus, eam illius esse. Sit ita sane. numeretur a patre Clitiphoni pecunia, quam ad meretricem perferret. interea tota res detegitur. indignari Chremes, & fremere, & minitari se omnia atrocissima exempla editurum. tandem, cum prius Antiphilam Cliniae collocasset, partim Menedemi, partim uxoris precibus delenitus, ignoscit. Clitipho se, relictis meretricijs amoribus, uxorem ducturum pollicetur. Cum autem ceterarum fabularum argumentum uno die contineri soleat; huius non nisi biduo explicari potest.

SCHOLIA

125. In hac est pura oratio] *Quidam, qui inter Germanos habitus est eruditissimus, putauit hoc ad huius comoediae commendationem pertinere, ipsumq. poetam profiteri, ac quodammodo gloriari, se in hac pure, ac proprie locutum. uidelicet in alijs usus erat impuro, atque improprio orationis genere. Sed nihil tale hic significatur. Hoc enim dicit, esse in hac comoedia puram, id est simplicem, orationem, siue, ut Aristoteles loquitur,* ψιλὸν λόγον, *remotam ab omni contentione tragica, ab omni elatione: esse denique fabulam, ut antea dixit, statariam: in qua nihil audiatur tale, quale est illud ex Adelphis,*

O caelum, o terra, o maria Neptuni.

125. Si numquam auare] *Eosdem uersus repetit in prologo Hecyrae.*

126. Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.] *In alijs illud Denique, cum sequentibus con iungitur, hoc modo:*

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. denique
Nullum remittis tempus.

ego fidem habeo Ciceroni, qui in primo de Finibus citans hunc locum, facile ostendit, Denique, finem periodi esse. & alioqui scio, alijs quoq. locis hac uoce ita usum Terentium.

126. At enim me, quantum hic operis fiat, paenitet.] *Impressi, ut opinor, omnes, praeter eos, quos, aliquot abhinc annos, ediderat Manutius:*

At enim, dices, me quantum hic operis fiat paenitet. miror autem, ne Goueanum quidem ipsum uidisse, detracto uerbo, Dices, multis partibus uenustiorem orationem fieri; recepto autem, uersum constare non posse.

Aliter Faernus. ego tamen in sententia maneo.

127. Siquid laboris est, nollem: sed istuc quid quid mali est?] *Neq. constat uersus, neq. sententia mihi quidem satis aperta est. cum aliud, hoc quidem tempore, nihil possem, quod in ueteribus libris erat, cum fide proponere, satis habui. Sunt qui putent legendum, Si cui labori est, nollem. hoc sensu: Si quem tibi laborem, ac molestiam affert huius rei explicatio, ac patefactio, nollem equidem urgere te, ac tibi molestus esse.*

128. Aetate me putauit, & sapientia] *in alijs: Et aetate putauit me, & beneuolentia: quae lectio neque inconcinna est, & ueterum libro*

rum

rum testimonio adiuuatur: in quibus tamen perpetuo scribitur, Beniuolentia. ego Petri Bembi auctoritatem, ac testimonium sequi malui.

128. - pro se quisque sedulo Faciebat] *Malo quod in quibusdam ueteribus legitur, Faciebant.*

129. - sumptum exercent suum] *Sunt, qui putent, hoc loco legendum, Sumptum exsarcirent suum. Sed in libro Petri Bembi, non tantum ut in aliis, Exercerent, legitur, uerum etiam adscripta est ad latus explicatio quaedam huius uocis, quae scripturae illius integritatem confirmet. multum autem eius libri ualere debet auctoritas. est enim ita antiquus, ut Angelus Politianus, qui multos ueteres libros uiderat, testatus sit omnium cuiusque generis librorum, quos ipse umquam uidisset, eum sibi antiquissimum uideri.*

130. Dionysia hic sunt]*Hoc eo uenustius dicitur, quod fabulae Dionysiis agi Athenis solebant. Ita, ut uero, ac serio loqui uideretur hic senex. Tale est illud ex Pseudolo . . . . ei rei dies*

Haec praestituta est proxima Dionysia.
Cras ea quidem sunt.

133. Quam inqui sunt patres] *Miror , quid sibi uoluerint, qui actus principium hoc loco fecerunt. cum enim, Chremete solo ingresso domum, Clitipho in proscenio remanserit, nemo profecto non uidet, eorum dumtaxat, quibus comica ratio non penitus ignota est, non modo nouum actum, sed ne nouam quidem (si ita loquendum est) scenam hoc loco esse posse.*

133· Astutus. ne ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.] *Contemptum hunc pater narũ admonitionum mirifice expressit Theocritus: apud quẽ pastor quidam, cum, aestatem a se non me tui indicare uellet, ait tanti eã a se fieri, quãti a liberis patrum matrumq· uerba fiunt. uersus hi sunt:*

Τοῦ δὲ θέρεος φρύγοντος ἐγὼ τόσσον μελεδαίνω,
Ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων, καὶ μητρὸς ἀκούειν.

134· Nam Clinia hic, etsi is suarum rerum satagit, attamen] *Nescio quo modo factum est, ut hic uersus meam diligentiam fugerit. ita enim emendandus fuerat, ut est in quibusdam impressis, & in omnibus calamo notatis:*

Nã hic Clinia, etsi is quoq· suarũ rerũ satagit, attamẽ Habet, &c.

135· – uerum interea, dũ sermones caedimus,] *Genus hoc loquendi ductum esse a Graecis admonet Priscianus lib.* XIIX *. eos enim ita dicere solitos,* κόπτειν λόγους, κόπτειν ῥήματα.

135· Non oportuit relictas: portant quid rerũ?] *Ita saepe loquebantur ueteres, cũ magnã rei alicuius uim, aut copiã indicare uellent. Sic in Andria:*

Di boni, boni quid porto? Et in hac ipsa fabula:
Modo pitissando quid uini absumpsit mihi?

Plautus in Epidico:

Tũ captiuorũ quid ducunt secũ pueros, uirgines,
Binos, ternos alius quisque: fit cõcursus per uias.

Cicero in Verrem: Quid lacrumarum putatis ipsum profudisse Neronem?

136· – ancillas, aurum, uestem?] *Fieri potest,*

ut

ut haec respondeant ÿs, quae citat Athenaeus ex Menandri Heauton timorumeno, λυτρὸν, θεραπαί νας, ἀργυρώματα.

138. Nam disciplina est eisdem, munerarier Ancillas, primũ ad dominas qui affectant uiã.] *Praeceptum hoc ita complexus est Ouid. in Arte:*

Sed prius ancillam captatae nosse puellae
Cura sit: accessus molliet illa tuos.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando:
Quod cupis, ex facili, si uolet illa, feres.

139. nõ fit sine periculo facinus magnum, & memorabile.] *Herodotus:* Μεγάλα πρήγματα μεγάλοις κινδυνοις θέλει καθαιρεῖσθαι.

139. Eniuero reticere nequeo: multimodis iniurius] *Hic quoq. multimodis ut legas ipsa uersus ratio cogit. quod neminẽ antea aĩaduertisse, mirũ est.*

141. CLIT. Quid ago nunc? CLIN. tu ne? quod boni] *In alÿs omnibus, Tu ne? quod boni est. Mirumque, quam suo more, idest, quam inepte, quamque ridicule locum hunc interpretentur litteratores. illius igitur nobis sententia, quam ante nos nemo tradidit, aperienda est. dicturus erat Clinia continuata oratione: tu ne? quod boni datur modo, fruere, dum licet. nam nescias, Eius sit potestas post hac, an nũquã, tibi. Sed cum, eo loqui exorso, pergeret abire Syrus, interrupit illius orationem Clitipho, et Syrũ inclamauit: deinde ad Cliniã cõuersus, dic modo uerũ, inquit. at Syrus indignabũdus, age, inquit, modo: hodie sero ac nequidquam uoles. tum demũ Clinia interruptam orationẽ persecutus est.*

141. Tibi erunt parata uerba, huic homini uerbera.] *Venuſte, Huic homini, dixit, cum ſeipſum deſignaret. ſic apud Plautum in Epidico:*

Quid uerba facimus? homini huic opuſt quadra ginta minis. *Sic Demea Adelphis:*

Vin' tu huic ſeni auſcultare?

Et apud Sophoclem Vlyſſes:

Εχθρός γε τῷ δε τ' ἀνδρὶ καὶ τανυῦ ἔτι.

Et apud Euripidem Admeti pater:

Μὴ θνῆσχ' ὑπὲρ τοὺδ' ἀνδρὸς, οὐδ' ἐγὼ πρὸ σοῦ.

144. Luciſcit hoc iam: ceſſo pultare oſtium] *In omnibus libris, praeter Manutianis, locus hic inepte & ſcriptus, & interpunctus erat, hoc modo: Luceſcit: hoc iam ceſſo pultare oſtium &c. Quae ſit autẽ uis huius orationis, Luciſcit hoc iã, dixi quodam loco in Commentario in Catullum.*

146. Quam ea nunc inſtructa pulchre ad perniciem ſiet;] *Loquendi ratio, a Plauto, ut uidetur, accepta; cuius eſt uerſus ille Bacchidibus:*

Omnium ad perniciem inſtructa domus opime, atque opipare.

146. -aſperum pater eſt:] *Aſperum uocat uinum nouum, quod nondum uetuſtas leniјt ac mitigauit. petit igitur aliud lenius, id eſt uetuſtius. Plutarchus:* Τὸν δὲ ἀνθοσμίαν ἀπωσάμενοι καὶ ἱμερίδην, ἀγριώτερον πίνωμεν ἐκ πίθου, κωνώπων χορῷ περιᾳδόμενον. ἱμερίδην *uocat uinum, &, ut uulgo in Italia loquimur, amabile.* ἀγριώτερον, *nouum, & feruens de lacu, & doliare. Sic Horatius: Ad mare cum ueni, generoſum, & lene requiro.*

147. Consilia adolescentes: & tibi perdere] *Versus constare non uidetur. suspicor legendum, Adulescentes: & ita scripsisse ueteres, cum uellent secundam huius nominis syllabam producere.*

147. Nam deteriores omnes sumus licētia.] *Magis placet, quod in alijs legitur, Fimus,* γινόμεθα.

147. Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis,] *Suspicor fuisse in Graeco Menandri,* ὕπνον οὐχ ἑώρατα. *si quidem* ὕπνον ὁρᾷν, *eodem sensu, pure admodum ac proprie dicitur. Aristophanes Vespis:*

Ὕπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ παιπάλην.

148. Ne nos inter nos congruere sentiant.] *Claudeo, pro claudo dictum a ueteribus legimus. sed et Viueo pro uiuo; & Diceo pro dico usitata aliquando fuisse constat ex Nonio, apud quem citatur illud ex Naeuio:*

tibi, dum uiuebo, fidelis ero.

Vbi tamen uulgo male legitur, uidebo. & item illud ex eodem: Primum quod dicebo, recte; secundum quod dicebo, eo melius. ita necesse est, Congrueo, hoc loco, non Congruo, dictum fuisse a Teretio, intelligamus. nam, nisi Congruere legas, sylla ba, quae proxime ultimam est, producta, ut uersus constet, non assequeris.

148. Dissolui me, otiosus operam ut tibi darē] *In alijs, Dissolui me ocius, operam ut darem tibi. sed, quin ea uera scriptura sit, quam nos ei, quae uulgo recepta est, anteposuimus, cur dubitetur, caussa non est. primum Io. Pierius, spectatae eruditionis,*

ditionis, accerrimiq· iudicij senex, affirmat eam esse in optimo illo Romano libro · est & in altero eorum, qui olim Dominici Grimani Cardinalis fuere; nunc in hac urbe, in coenobio sodalium Antonianorum asseruantur· sed & Bernardini Lauretani antiquus eam confirmat liber : & Terentius ipse alibi eodem modo locutus est :

Nos otiosi operam dabamus Phaedriae:

Hoc autem loco potissimum libet pusillum quiddam, neque tamen contemnendum, cum studiosis communicare· id est super ratione scribendae uocis, ocium; quam uideo ab alijs per T, ab alijs per C litteram scribi· ac iam pridem Pierius, quo nemo umquam subtilius, nemo accuratius istius generis minima maxima perscrutatus est, in optimis illis, bonaeq· frugis plenissimis annotationibus in Virgiliũ suis, quid hacde re sentiret, aperuit.nã cũ in Romano libro uersum illũ ita scriptũ esse dicat,

Parthenope studijs florentem ignobilis oci,

alijs tamen locis omnibus eo ipso in libro Otium affirmat legi · profert etiam inscriptiones antiquas, libros ueteres aliquot, in quibus ea uox per T litteram legatur · ego tantum Pierio tribuo, ut cum antea Ocium & Negocium scribere consueuissem, idq· uerius putarem; postea, sola ipsius auctoritate motus, a mea consuetudine discesserim · neque tamen, quid sentiam, dissimulandum puto · marmora, numismata ue antiqua, quae hanc, aut illam scripturam confirmarent, mihi quidem inspicere adhuc non contigit · libros ueteres non nullos

uidi,

uidi, in quibus Otium; multis partibus plures, in quibus Ocium, scriberetur. adeoque nunc ipsum, de quattuor scriptis Terentij libris, quos habeo, in duobus Otium, in alijs duobus Ocium perpetuo scribitur. habeo & Sallustium satis antiquum, in quo numquam aliter, quam Ocium, & Negocium legas. Ciceronis autem quotquot uidi ueteres libros, in eis eodem modo scriptum animaduerti. Paullus quidem Magnolus, magna homo doctrina, diligentia etiam admirabili, cum Ciceronis libros de Officijs accuratissime cum antiquis exemplaribus contulisset, testatum reliquit, se in antiquis omnibus Ocium & Negocium per C litteram reperisse. mouet me quoque uehementer Donati auctoritas, qui in locum illum ex Eunucho,

Suspiciones, inimicitiae, induciae:

Induciae, inquit, sunt pax in paucos dies: uel quod in diem dentur, uel quod in dies ocium praebeant. quae si posterior notatio uera est, necessario effici uidetur, ut aut Ociũ per C, aut Indutias quoque per T litteram scribi oporteat. Piget super re tam tenui plura uerba facere: neque sane magnopere laboro, utra opinio recipiatur. non enim in eo positas esse, ut ille dicebat, Graeciae fortunas, satis intelligo. cum tamen eruditissimi olim homines de singulis litteris singulos libros scripsisse memorentur; non est cur ego, qui praeclare mecum agi duco, si per illorum uestigia repere liceat, has disputationes mihi parum decoras putem.

149. Sy. Garris. Ch. haec facta ab illo oportebant,

bant, Syre.] *antique dictum, ut in Andria,*
– quae assolent, quaeq. oportent.

151. Nec, cum malefacere crederem mi impunius Licere] *In alijs, Malefacerem. nemo autem non uidet, una a nobis detracta litterula, quam commodum, quamq. apertum sensum effecerit, qui obscurus antea, & perturbatus fuerat.*

151. Quid istuc, quaeso? qui istic mos est, Clitipho? ita ne fieri] *Qui hunc uersum temere immutarunt, nesciebant uidelicet, Fieri, prima producta, saepe apud ueteres positum esse. id ergo exemplis confirmandum est. Terentius:*

Credebam. minime. scite poterat fieri.
Iniurium est: nam, si esset, unde fieret.

quem in locum etiam a Donato hoc ipsum notatur.

Argento opus esse, & id quo pacto fieret.

Plura ponerem, nisi haec satis esse ad rem docendam arbitrarer. Apud Plautum autem quam multa eiusmodi exempla sint, sciunt, qui poetam illum accurate legerunt.

151. Atque eius amicam subagitare. uel here in uino quam immodestus] *Ne quis hoc me loco quidquam mutasse parum considerate putet; testificor in quattuor libris calamo exaratis ita scriptum reperisse me, ut excudendum curaui. quo modo autem antea legebatur, In conuiuio, ita qui leget, magnum faciet, si uersus rationem explicare poterit. quo modo nos legimus, quadratus est hypercatalecticus. In uino, autem ita dictum est, ut apud Catullum,*

Marru-

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in ioco, atque uino.
- immo, si scias.

153. Hoc uide, quod inceptet facinus] *In aliis, Vah uide. sed ita, ut ego emendaui, legitur in libro Lauretani, in duobus Antonianis, & in uetere Veneto. Hoc autem genere loquendi usus est & supra, in hac ipsa comoedia:*

Hoc uide: in mea uita tu tibi laudem is quaesitum, scelus.

154. Mane, mane. quid est, quod tam a nobis grauiter crepuere fores?] *De hoc loco quid suspicer, iam ante dixi: legendum uidelicet, Crepuit foris. alioqui enim uersus iusto longius excurrit. ueteres tamen libri ita habent, ut ipsi edidimus.*

154. Nisi me animus fallit, hic profecto est anulus, quem ego suspicor,] *Cum Chremes, & Syrus in proscenio remanserint; non sane uideo, quo modo hic principium actus esse possit.*

155. Sustulisti. Sy. si sic factum est, domina, ergo herus damno auctus est:] *In aliis omnibus hoc modo:*

Sustulisti. SO. sic est factum. SY. domina, ergo hero damno auctus est.

quae quidem mihi scriptura seipsam refellere uidetur. nam, si dicenti uiro, Sustulisti, respondeat Sostrata, sic esse factum; primum inutili se mendacio obligabit: neque enim filiam sustulerat ipsa, sed exponendam dederat. deinde quo modo illa conuenient, quae ab eadem postea dicuntur?

Mini-

Minime: ſed erat hic anus Corinthia, haud impura: ei dedi
Exponendam. Sed nolo in re certa argumentis abuti. etenim intelligentes admonere ſatis eſt: de ceteris non laboro. illud modo teneatur, quo modo nos edidimus, ita in omnibus ad unum, quos quidem ipſi uidimus, calamo notatis libris legi.

158. Niſi fallit me animus, haud multum a me aberit infortunium:] *Haec, cum in alijs ſeparentur, in meo ſcripto continuantur cum ſuperioribus: neque cauſſa eſt, cur ſeparari debeant.*

158. Nihil eſt: triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.] *Hoc loco, utrum, neque ſatis ſcio, neque, ſi ſciam, dicere auſim; alterutrum quidem ſine dubio neceſſe eſt: ut aut ſolus ex ijs, qui uerſum hunc adhuc interpretati ſunt, recte ſentiam, aut ſolus errem. nam ceteri omnes, Latere, ut uerbum accipiunt: ego nomen eſſe ſtatuo. ac illi quidem quam ſententiam afficiant, non eſt obſcurum. ego uero ita intelligo: ut hanc ſuam Syrus emungendi pecuniam Chremetis inceptionem cuidam gladiatorio certamini comparet, in quo ſe cum illo depugnare oporteat. ſicut autem primum illud eſt gladiatoris, ut antagoniſtam feriat: quod ſi non poſſit, proximum eſt, ut ſaltem bene tegat latus ſuũ, nullaq. plaga accepta, abſcedat e pugna: ita Syrus primum ſibi illud fuiſſe dicit, ut ſenem argento circumduceret; ſed cum rem in eum locum deductam uideat, magnum ut periculum ſit, ne fiant palam, nihil eſſe ait, quod iam ſenem quaſi ferire pe*

cunia illa cogitet: triumphare ſe, ac putare ſecum praeclare actum iri, ſi ex hac pugna, latere tecto, poſſit abſcedere: ideſt, ſi ita poſſit euadere, nihil ut exeo, quod iam factum eſt, nanciſcatur mali.

161. Tu fortaſſe, quid me fiat, parui curas,] *In alijs, Paruipendis. ego omnium ueterum librorum conſenſum ſecutus ſum.*

161. -Ius ſummum ſaepe ſumma malitia eſt.] *in meo ſcripto, Summa iniuria eſt.*

167. Sed pater egreditur. caue, quidquã admiratus ſis, Qua cauſſa id fiat; obſecundato in loco: Quod imperabit, facito: loquitor paucula.] *Antea praepoſtero ordine legebantur hi uerſus, in hunc modum:*

Qua cauſſa id fiat, obſecundato in loco.
Sed pater egreditur. caue, quidquam admiratus
Quod imperabit, facito: loquitor paucula. (ſis:

nullus autem ſenſus illo modo extorqueri poterat: qui nunc & optimus eſt, & uel pueris perſpicuus. Ita memini olim, cum in Academia Pariſienſi libros de Diuinatione publice interpretarer, emẽdatum a me eſſe locum quendam ex primo eorũ librorũ, qui, ut eſt in impreſſis libris, nullo modo intelligi poteſt. Verſus ſunt Attij, quos ibi Cic. citat:

Cum iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, ſopore placans artus languidos:
Viſum eſt in ſomnis, paſtorem ad me appellere,
Duos conſanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Praeclarioremq. alterum immolare me.

ſunt autem legendi hoc ordine :

Viſum eſt in ſomnis, paſtorem ad me appellere
Pecus lanigerum eximia pulchritudine:
Duos conſanguineos arietes inde eligi,
Praeclarioremq· alterum immolare me·

167· Mihi nunc, relictis rebus, inueniendus eſt] *In alijs, Relictis omnibus; non male · Sed in omnibus ſcriptis quod repereram, id repraeſentandum curaui · eſt autem ita locutus & in Andria :*

Herus me, relictis rebus, iuſſit Pamphilũ &c·

169· Nam te ſcientem faciam, quidquid egero.] *Ita eſt in meo ſcripto, & in uetere Veneto · eſt autem dictum, Te ſcientem faciam, pro, te conſulam, te certiorem faciam· Plautus : Propterea quod me non ſcientem feceris ·*

169· In illum nil poteſt: nam exſuperat eius ſtultitia omnia haec.] *Nihil muto · uolo tamen indicare, quid in ueteribus libris repererim · in meo ſcripto aperte legitur :*

- nam exſuperat eius aſtutia omnia haec·

in libro Lauretani legitur quidem, Stultitia ; ſed aut eadem, aut certe alia non minus antiqua manu emẽdatum, Aſtutia· in uno etiam Antonianorum eadem uarietas ad marginem libri annotatur. uidebunt alij, ecquid ironia illa uenuſtatis habeat ·

170· Sponſae ueſtem, aurum, atque ancillas opus eſſe, argentum ut dares] *Ita emendaui e meo ſcripto: cum ab alijs abeſſet particula, Atque ; uerſusq· iccirco claudicaret·*

171· Quemquam ne animo tam comi eſſe, aut leni

leni putas,] *Ita plane est in uetere Veneto. a scriptis abest particula, Ne. ne quid tamen dissimulem, et in uetere Veneto, & in scriptis ita legitur: Cōi: quod utrum ualeat, Comi, an, ut in alijs, Communi, satis liquido affirmare non possum.*

172. Quot incommoda tibi in hac re capies, nisi caues?] *Ita emendaui ex omnibus antiquis libris: cum antea contra rationem uersus legeretur:*

Quot incōmoditates in hac re accipies, nisi caues?

172. Quid hoc, quod uolo] *In alijs, Quod rogo. sed, Volo, est in omnibus ueteribus. ualet autē, cupio; ut non uoluntatem modo, sed desiderium etiam declaret. sic in Andria:*

- sin eueniat, quod uolo,

In Pamphilo ut nil sit morae, restat Chremes.

179. Quam pudet: neque, quod principium incipiam ad placandū, scio] *In impressis omnibus, Quod principiū inueniā; sed in omnibus antiquis, Quod principium incipiam. idq. lepidius uidetur.*

181. Quam uolo. So. nūc laudo te, gnate. Clit. Archonidi huius filiā] *In alijs, Nunc laudo, gnate. Goueanus senserat, abesse aliquid a uersu. Itaque addiderat ad finem, Volo, hoc modo: Archonidis filiā uolo. sed repugnant ueteres libri. hoc, quod posui, scriptum est in libro Lauretani, & in uetere Veneto, & in uno satis uetere, quem nuper ad me misit honestissimus adolescens Hercules Ciofanus Sulmonensis. Archonidi autē legendū est producta syllaba, Ni: ut tale sit, quale illud apud Sidoniū:*

Orchestram quatit alter Euripidis.

M. ANTONII. MVRETI
IN. ADELPHOS. TERENTII
ARGVMENTVM

MICIO, & Demea, duo dissimillimo fratres ingenio fuere. ille urbanam uitam secutus est; hic rusticam: ille caelebs uixit; hic uxorem duxit: ille ingenio lenissimo; hic asperrimo: ille mitis etiam in alienos; hic saeuus etiam in suos: ille etiam in ira placidus; hic etiam citra iram ferox. Erant Demeae filij duo: ex quibus natu maiorem Aeschinum sibi adoptauit Micio, eumq. secum in urbe liberalissime, indulgentissimeq. educauit; minorem Ctesiphonem ruri secum seuere in primis, ac restricte habuit pater. Aeschinus multas meretrices, patre ad omnia conniuente, adamauit; multa conuiuia celebrauit: quae denique iuuentus fert, ea omnia non libere modo, sed etiam licenter exercuit. postremo usque eo progressus est. in uirginem pauperculam quidem, sed bonam, bonis prognatam, Pamphilam nomine, quam mater Sostrata uidua sancte secum, & pudice, ut poterat, educabat, noctu tumulentus cum incidisset, uim ei attulit, grauidamq. fecit. uenit postea ad matrem illius, ueniam petens, pollicensq. se puellam uxorem ducturum. ea fide data, & ignotum est, & tacitum. Ctesipho, cum in urbem interdum uentitaret, ipse quoque citharistriae cuiusdam amore correptus est. totam eius rei famam,

ne qua emanaret, ac perueniret ad Demeam, in se se Aeschinus transferebat. tandem, cum leno, puellae dominus, aut pecuniam sibi, quãti ea erat, uellet in manum dari, aut se eam alij uenditurum minitaretur; adductus in summam desperationem Ctesipho, iam de relinquenda patria cogitabat: cum Aeschinus, re intellecta, qui nullo neque pudore teneretur, neque metu, domum lenonis per uim ingressus est, & ipsum, & familiam contudit pugnis, puellamque per uim abreptam tradidit fratri. Spargitur tota urbe rumor. uenit Demea, Micionem obiurgat, inclamat, testatur deos atque homines, quod dissolutus, quod intemperãs, quod uinosus, quod scortator, quod nullius bonae rei Aeschinus foret, omnem in Micione uno haerere culpam: dijs gratias agere, quod ille saltem, quem ipse ruri haberet, frugi, ac temperans esset; rei studeret, & famae, illarum rerum nihil ne cogitaret quidem: tantum uidelicet interesse inter suam & fratris disciplinam. placat hominem, quantum in se est, Micio: iamque se ab eo expedi uerat, cum superuenit aliud, quod maiores etiam tumultus excitaret. raptam ab Aeschino citharistriam perfertur ad matrem Pamphilae, quae quidem Pamphila ita erat ad pariendum uicina, ut iam e dolore laboraret. quid faceret misera? mutatum Aeschini animum, se uero filiamque suam proditas per summam perfidiam, ac desertas putabat. Getam seruulum, qui pauperem familiam solus, ut poterat, alebat, mittit ad Hegionẽ, puel

lae cognatum, iubetq. ei rem, ut erat, exponere. interea audierat Demea, ſuum quoque Cteſiphonem in raptione fuiſſe. iamq. totus in fermento, ut aiunt, erat; cum ei Syrus, ſeruus uaferrimus, mendaciolum adſpergit: ueniſſe quidem rure Cteſiphonem, ſed ueniſſe obiurgatum Aeſchinum, multa ei medio foro mala dixiſſe, deinde rediiſſe rus in praefecturam ſuam. lacrumare gaudio Demea, & gratulari ſibi, quod unum ſaltem haberet, in quo exſtaret paternae ſeueritatis exemplum. dum rus redit, incidit in Hegionem, a quo de conſtuprata per uim ab Aeſchino Pamphila intelligit. denuo commotus, dum fratrem, ut in eum iram euomeret, quaerit, obuium habuit mercenarium a uilla, ex quo ſciſcitatus de filio, accipit, non eſſe ruri. redit ad Syrum, a quo ei rurſus nouum mendacium, uelut offa in os, ne latraret, obiicitur. quaerit, ubi fratrem reperire poſſet. id uero ita indicauit Syrus, ut infelix ſenex, dum illius uerbis fidem habet, nequidquam omne opidum perreptauerit. interea Micio omnium ab Hegione certior factus, ipſemet ad mulieres profectus, iacentes iam & afflictas erexerat, labantes & dubias confirmauerat, triſtitia ac maerore confectas recreauerat, pollicitus, ſe Aeſchino Pamphilam uxorem daturum. uenit Demea. clamor, iurgium, conuicia. etiam eo praeſente, ſeruulus quidam Cteſiphonem per imprudentiam nominat. ille cum ſubito per uim in aedes irrupiſſet; quem iampridem putabat ruri fodere, aut arare, aut ali

quid

quid ferre denique, eum accubantem cum amica, & suauiter potitantem deprehendit. ibi uero tanta iracundia incitatus est, ut arderet. satis diu uociferatus cum esset, tandem placida & composita Micionis oratione eo perducitur, ut, deposita uetere saeuitia, benignus, affabilis, lepidus esse meditetur. itaque ipso non permittente tantum, sed etiam iubente, puerpera domum transducitur: fiunt nuptiae; lenoni numeratur argentum; Micio ipse Sostratam ducit uxorem; Hegioni datur, unde uiuat; Syrus una cum Phrygia uxore manumittitur. cum Micio, ceteriq. omnes, sed tamen praecipue Micio illam tantam, tam insperatam, tam subitam mutationem admiraretur; graui & cordata oratione claudit fabulam Demea; si omnia profundere, si in omni libidine ac nequitia uiuere, si totam rem heluationibus, scortationibus, largitionibus consumere libeat, nihilo id sua magis, aliquanto etiam minus, quo sibi minus aetatis superfit, quam aliorum, interesse; sin corrigi se in loco, & modice coerceri, atque admoneri uelint, eum esse se, qui id praestare possit. permittuntur ei omnia. ita fabula concluditur

SCHOLIA

182. ADELPHI. TERENTII] *In omnibus antiquis libris non* ADELPHI, *sed* ADELPHOE *legitur. idq. ego, ne quid dissimulem, uerius puto.*
Sic apud Ciceronem de natura deorum διόσκυροι *dioscu*

roe in antiquis libris. sic apud Melam urbs σόλοι Soloe: apud Caesarem κελτοὶ Celtoe, ubi uulgo male legitur Celtae: apud Plautum κληρέμενοι Clerumenoe, non, ut uulgo, Clerumene.

182. ACTA · LVDIS · FVNEBRIBVS L · AIMILII · PAVLLI] Ita est summo consensu in antiquis libris: ut ualde mirer, qua stultitia quidam alij ex FVNEBRIBVS fecerint, FVNERALIBVS, & L. Paulli nomen sustulerint.

182. Q · FABIO · MAXIMO · P · CORNELIO · AFRICANO] Horum uterque L. Aemilij filius fuit: sed ille a Q. Fabio Maximo, hic ab Africani superioris filio adoptatus.

182. AEDILIBVS · CVRVLIBVS] Hoc perspicue falsum est: quod ante me an quisquam animaduerterit, nescio; nemo quidem certe tradidit. falsum autem esse, ita doceo. primum, quod nusquam reperietur, ludos funebres pertinuisse ad aedilium curam: praeterquam apud grammaticum illum, quisquis est, cuius ante Terentium, sub Donati nomine, quisquiliae quaedam haud magni pretij leguntur. is autem eadem uidelicet eruditione, eodemq. iudicio illud tradere potuit, quo, quattuor esse ludorum species, & Megalenses fuisse magnis dijs consecratos; & Apollinares pertinuisse ad curam aedilium: quae quam uera sint, suo loco diximus. deinde, si hi duo fratres simul aedilitatem illam maiorem gessissent, aliqua profecto tam inusitatae rei ab historicis facta mentio esset,

set, praecipue a Paterculo, qui huius generis aliquot exempla subtiliter, & accurate annotauit. Sed quid argumentis opus est? unicum est ad praecidendum omnem dubitandi occasionem. P. Cornelius Aimilianus, quo de hic manifesto agitur, numquam aedilis fuit: immo uero annum agens XXXVI, cum aedilitatem peteret, consul creatus est. auctor is, quem modo nominaui, Paterculus. Corruptum essè locum, ostendi; ideoq. asterisci notam apposui. nunc quo modo ei medicina facienda sit, si potero, ostendam. in uno Antonianorum reperio: Q. FABIO. MAXIMO. P. CORNELIO AFRICANO. AEDILIBVS. CVRVLIBVS. QVOS FECERE. inde suspicor, expungendas esse uoces illas, AEDILIBVS. CVRVLIBVS, legendumq. hoc modo: ACTA. LVDIS. FVNEBRIBVS. L. AIMILII. PAVLLI. QVOS. FECERE. Q. FABIVS. MAXIMVS. P. CORNELIVS. AFRICANVS. ita confirmat hanc opinionẽ Donatus, ut uix ulla dubitatio relinquatur. is enim in προλεγομένοις in Hecyram, de Hecyra ipsa loquens: Postremo, inquit, data est ludis funebribus L. Aimilij Paulli, quos fecerunt Q. Fabius Maximus, & P. Cornelius Africanus. Quamquam autem non id mihi consilium est, hoc quidem tempore, ut ea, in quibus grammatici errauerint, persequar; tamen iniecta me Donati mentio facit, ut quiddam, quod ille in ijs, quae praefatus est in hanc fabulam, dixit, praetermittere silentio non queam. eius igitur uerba sunt: Hanc dicunt ex Terentianis secun

do

do loco actam, etiam tum rudi nomine poetae: itaque ſic pronunciatam, Adelphoe Terentij, non, Terentij Adelphoe; quod adhuc magis ſabulae nomine poeta, quam de poetae nomine ſabula, commendaretur. Haec Donatus: quae ſi uera ſunt; omnes propemodum, quas hodie habemus, Terentij ſabularum inſcriptiones falſas eſſe oportet. Siquidem Heauton timorumenos acta inſcribitur Ti. Sempronio, M. Iuuentio cos. Eunuchus, M. Valerio Meſſalla, C. Fannio Strabone cos. eodemq. anno, ſed non iiſdem ludis, Phormio: Adelphoe uero L. Anicio Gallo, M. Cornelio Cethego cos. ut, ſi ordinem temporum ſeruare libeat, non ſecunda, ſed quincta potius collocanda ſit. aut igitur errat Donatus, aut ſunt, ut ſupra dixi, omnes illae inſcriptiones repudiandae.

185. Eam Commorientes Plautus fecit fabulā.] Varro tamen Commorientes Plauti eſſe non putabat. eius e libro de Comoedijs Plautinis haec uerba referuntur: Nam nec Gemini, nec Lenones, nec Condalium, nec Anus Plauti, nec Bis compreſſa, nec Boeotia umquam fuit: neque adeo ἄγροικος, neque Commorientes: ſed M. Acutici.

190. Tun conſulis quidquam?] Magis placet, quod in quibuſdam ueteribus eſt, Tun conſilis quiquam? Vt ſit ſenſus, Tu ne conſilijs cuiquam pater eſſe poſſis? Significat enim eum neque Aeſchino, neque cuiquam alij, recte poſſe conſulere. Quiquam autem, pro Cuiquam, uetus ſcribendi ratio eſt.

192. Si

192. Si possiderem, ornatus esses ex tuis uirtutibus.] *Non praetermittam occasionem emendandi loci Plautini, qui in optimis libris deprauatus circumfertur: Nam, cum in Captiuis, non procul a fine, ita legatur,*

Sed eccum. incedit huc ornatus audax suis uirtutibus,

sine ulla dubitatione, legendum est:

Sed eccum. incedit huc ornatus haud ex suis uirtutibus:

196. Iam ne enumerasti, quod ad te rediturum putes?] *Ne forte ita legendum sit,*

Iam ne enumerasti, quoad rediturum putes?

sitq. Quoad ita positum, ut in illo ex Phormione:

Quid? senem quoad exspectatis uestrum?

198. Ego illam facile uero omitto,] *Ita emendaui e scriptis libris; cum antea legeretur, Ego illam hercle uero omitto. uersus autem quo modo constet, non uideo, nisi legas, - qui te fratrem habeam quidem.*

202. Hera, lacrumas mitte, ac potius, quod ad hanc rem opus porro est, prospice] *Ita est in ueteribus libris; non, ut in alijs, Consule.*

203. Qua propter quoquo pacto tacito est opus.] *In alijs, Celato est opus: sed uersus non constabat. hoc quoque ex ueteribus libris emendatum est.*

206. - sinerem illum? aut non sex totis mensibus Prius olfecissem, quam ille quidquam coeperet?] *Ita perspicue legitur in meo scripto, et alioqui scripturã hanc agnoscit, & approbat Priscianus.*

tuum

206. tuum ne filium? (Abigam hunc rus) iamdudum aliquid ruri agere arbitror.] *Alij illud, Abigam hunc rus, faciebant dici a Demea. inepte. id enim ſecum de Demea ipſo muſſitat ſeruus. porro, praeter quā quod in meo ſcripto ita plane legitur, idem etiam ex Donati interpretatione non obſcure colligi poteſt.*

216. ACTVS · IV · SCENA · III

Ego hāc actus quincti ſcenam primam eſſe duco. abijt enim Demea quaeſitum fratrem, Syrus ſorbillatum cyathos: itaque ſcena uacua remanſit. infra autem, ubi dicitur eſſe principium actus quincti, id uerum eſſe non poteſt: cum Demea in ſcena maneat.

217. Propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt neglegi.] *Donatus admonet, in quibuſdam libris legi, Se ſemper credunt caluier. Valet id uerbum idem, quod, falli, ac circumueniri.*

219. Perij, horreſco ſemper, ubi pultare haſce occipio fores miſer.] *Vltima dictio huius uerſus, quae in alijs deerat, in omnibus ueteribus legitur. qui autem tollunt, Fores, & contra ueteres libros faciunt, & corrumpunt uerſum, qui quadratus iambicus eſſe debet.*

220. Erubuit: ſalua res eſt.] *Hos uerſus ex uetere quodam tragico citat Euſtathius:*

Δέος γὰρ ὦ πρόσεσιν, αἰσχυύνη θ' ἱμοῦ,
Σωτηρίαν ἔχοντα τόν δ' ἐπὶςασο.

Illud

Illud autem, Salua res est, ductum est ex illo uetere, Salua res est: saltat senex.

221. - factum a uobis duriter, Immisericorditerq.] Σκληρῶς, καὶ ἀνηλεῶς. *Neque autem uocem, Immisericorditer, usquam alibi legere memini, neque Graecam, quae ei respondet, nisi item semel apud Platonem.*

223. Abiit, periit, nauem adscendit.] *Sunt, qui dicant, legendum, Abijt, nauem adscendit, perijt: quia fieri non possit, ut prius perierit, deinde nauem adscenderit. mihi ordo ille perturbatus, ut in aperti mendacij professione, iucundior, ac lepidior uidetur.*

224. Non clamas? non insanis? Mi. non. malim quidem.] *Alij illud, Malim quidem, faciebant dici a Demea, aut nullo sensu, aut inepto. Dicitur a Micione: & habet hunc sensum: Malim quidem, si fieri possit, aliter esse: sed, quando, quod factum est, infectum fieri non potest, aequo animo fero. tale aliquid cum dicere pararet, impeditur a Demea.*

225. Ita uita est hominum,] *Comparatio Platonica:* Κυβείᾳ γὰρ ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπείκασεν, ἐν ᾧ καὶ βαλεῖν δεῖ τὰ πρόσφορα, καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι. *Plutarchus* ἐν τῷ περὶ εὐθυμίας.

226. - ipsa, si cupiat, Salus,] *Sic Plautus: Neque iam seruare Salus si uolt me potest, nec copia est. Et Cicero pro Fonteio: Salus ipsa uirorum fortium innocentiam tueri non potest. Et uide, ut eleganter exprimat, eos omnes esse* ἀσώτους. *Simul annota, Ro-*

manam

manam deam nominari in Palliata.

227. -potastis scelus, Quasi re bene gesta.] *Militibus, re bene gesta, mulsum dabatur: ut saepe apud Liuium uidere est. Accommodari potest et huc illud Horatianum: Nunc est bibendum. & illud Simonideum:* Πῖνε, πῖνε, ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς. συμφορὰς *enim uocabat res bene gestas.*

228. Hei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?] *Alij omittebant illud, Quid agam? quod tamen & est in antiquis libris, & agnoscitur a Donato, & ad uersum necessarium est.*

235. -promisti autem? de te largitor, puer] *Iurisconsultorum est, de se quemq. promittere oportere: alium autem pro alio promittentem non obligari.*



IN. PHORMIONEM. TERENTII

ARGVMENTVM



CHREMES, & Demipho fratres Athenienses erant. Chremes Athenis uxorem diuitem, ac bene dotatam duxerat Nausistratam: & ex ea susceperat filium Phaedriam. habebat Nausistrata, praeter ceteras opes, opima praedia in Lemno. eo igitur Chremes quotannis, ad ea locanda, capiendosq. fructus, commeabat. dum illic residet, pauperculae cuiusdam mulieris amore correptus, eam quoque ducit uxorem, & ex ea suscepit filiam Phanium: ac, ne res emanaret, commutato nomine, Stilphonē se Lemni uocari iubet. detrahebat autem e fructibus praediorum uxoris Atheniensis, quantum satis esset ad illam alteram una cum filia nutriendam: deinde Athenas reuersus, aut calamitatem, aut uilitatem, aut tale aliquid caussabatur. Erat Demiphoni filius Antipho. Cum igitur Phanium quindecim iam haberet annos; conueniunt inter se Chremes, & Demipho, ut Chremes quidem & Lemniam uxorem, & Phanium Athenas clamculum adduceret; Demipho uero Phanium filio suo uxorem daret. eius rei caussa proficiscitur in Lemnum Chremes. eodem tempore accidit, ut Demiphoni quoque iter esset in Ciliciam. abeuntes ambo, Getae (is Demiphonis seruus erat) filios committunt suos. profectis senibus,

Phaedria

Phaedria se statim citharistriae cuiusdam amore implicat. Sed hoc erat incommodi, quod, qui a lenone amaret, quod daret, nihil habebat. interea uxor e Lemno, quae, propter paupertatem, uiri diutius forte, quam solebat, morantis aduentum exspectare non posset, conscensa naui, Athenas una cum filia, & nutrice ipsius uenit. quaerunt Stilphonem. frustra. Athenis qui quemquam eo nomine nosset, reperiebatur nemo. ibi mater (tãta eam aegritudo ceperat) moritur. ei funus una cum nutrice procurantem Phanium cum adspexisset Antipho, subito amore illius exarsit. uenit ad nutricem postridie, ut eius sibi copiam faceret, obsecrans. illa se, nisi puellam uxorem duceret, facturam negat. illi, cum & quiduis facere cuperet, & patrem absentem uereretur, parasitus Phormio hoc consilium dedit. lex erat Athenis, ut orbas puellas, qui eis genere proximi essent, ducere; aut, si id nollent, dotem eis dare cogerentur. ego, inquit parasitus, simulabo, me patri uirginis amicum fuisse, ideoq. caussam illius suscipere: uocabo te in iudicium, tamquam illius cognatum, tecumq. lege agam, ut eam ducas. tu ita te defendes, ut mihi facilem uictoriam praebeas: ita condemnabere. sic fiet, ut & tu potiaris tua, &, patre reuerso, paratam excusationem habeas. ita fiunt omnia, ut parasitus suaserat. confectis iam nuptijs, eodem die ambo redeunt senes. turbari uterque: ille, quod filius indotatam uxorem se absente duxisset; hic, quod uereretur, ne, erepta sibi

bi hac collocandae filiae occasione, tota res fieret palam. eo ipso die leno, citharistriae, quam Phaedria amabat, dominus, nisi sibi pro ea triginta minae darentur, uenditurum se eam, minitabatur. ad eas conficiendas hanc fallaciam Geta confingit: ait senibus, se cum Phormione collocutum: Phormionem uero, si sibi dotis triginta minae darentur, paratum eam uxorem accipere, quam duxisset Antipho. eam pecuniam Demipho a Chremete sumptam numerat Phormioni. is eam Phaedriae; Phaedria lenoni pro amica tradit. Cum haec iam confecta essent, agnoscitur Phanium. ibi uero senes gaudere, quod, quas nuptias ipsi facere moliebantur, eae ipsis absentibus, atque inscientibus facta essent. sed dolebant, sibi periisse triginta minas. eas dum a Phormione, primo blanditijs, postea etiam per uim eripere conantur: Phormio, qui iam de duabus Chremetis uxoribus, deq. tota re intellexerat, inclamat Nausistratam, eiq. aperit omnia. illa, cum aliquandiu de uiro conquesta esset, tandem placatur, filijq. ipsius iudicio omnia permissuram pollicetur.

SCHOLIA

243. Minus multo audaciter, quam laedit, laederet;] *Primum ab imperitis factum erat, ex Audaciter, Audacter: deinde interiecta particula, Nũc, ad fulciendum uersum. ego, quod in meo scripto libro perspicue scriptum erat, id reposui. aduer-*

bium autem, Audaciter, etiam a Cicerone usurpatum fuisse, alibi docui ex Prisciano.

251. Et si tibi res sit cum eo lenone,] *Ita quidem aperte legit Donatus: sed in omnibus tamen libris ueteribus, Quod si tibi res sit: quae lectio nihilo, ut ego quidem arbitror, deterior est.*

255. Ita ne tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo?] *Alij omnes hic faciebant principium actus secundi. quam inepte, nemo non uidet. neque enim scena remanet uacua. neque dubitandum, quin ibi sit principium secundi actus, ubi a nobis constitutum est.*

262. Nam, ni ita eum existumassem, numquam tam graues
Ob hãc inimicitias caperẽ in uostram familiã,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.] *In horum uersuum secundo particula, Ob, ut uidetur, est extra uersum. in eodem autem, Nostram, pro, Vostram, alij scripserant; putantes, id, quod sequitur, Quam is aspernatur, ad familiam referri. falso. ad ipsam enim puellam refertur. neque uero se Phormio cognatum puellae esse fingebat. Vostram familiam, aperte legitur in antiquis.*

264. – nam tua
Praeterierat iam ducendi aetas] *Ita emendaui ex ueteribus libris; cum in alijs esset, Ad ducendum.*

268. Hei, metuo lenonem, ne quid suat suo capiti.] *Profecto numquam quisquam satis attente ueteres inspexit libros. hoc adeo ea ex re uenit in*

mentem

mentem mihi. ego aliquot ab hinc annis, cum primum haec Scholia uulgare meditarer, Terentiꝫ fabulas cũ plurimis calamo exaratis uoluminibus, quam potui, diligentiſſime contuli. praecipue autem unum, quod adhuc habeo, quia ceteris emendatius uidebatur, ita diligenter inſpexi, liquido ut me iurare poſſe arbitrarer, nihil in eo, quod quidem alicuius momenti eſſet, non accuratiſſime excuſſum. ſed cum poſtea eundem librum euoluerem, ualde equidem opinione falſum eſſe me comperi. nã cum alia multa minime negligenda deprehendi: tũ hunc locum, quem numquam antea intellexeram, illius ope percepi. cum enim in aliꝫs omnibus eodem modo ſcriptum ſit:

Hei metuo lenonem, ne quid ſuo ſuat capiti:

ſolus hic meus, quem dico, ita habet:

Hei metuo lenonem, ne quid ſuat ſuo capiti.

qua e ſcriptura horum uerborum ſententia, quae antea latuerat, facile comprehendi poteſt. Suere enim apud Latinos, ut & apud Graecos ῥάπτειν interdum ualet idem, quod, aliquid quod alteri damnoſum ſit, ſtruere, ac machinari. cum igitur dixiſſet Antipho, ſe metuere, ne quid leno ſueret, ideſt, ne quid doloſe moliretur, addit, ſuo capiti: quorum uerborum ea uis eſt. quae quidem res ipſi lenoni uortat male, atque in ipſius caput recidat. Ita autem loqui ſolitos ueteres, exempla indicabunt. Demoſthenes in Aeſchinem: ἄσοι καὶ τοῖς σοῖς οἱ θεοὶ τρέψειαν εἰς κεφαλήν. Ariſtophanes Pluto. Ες κεφαλήν σοι. Plautus Poenulo: Capiti ueſtro iſtuc quidem.

 Te-

Terentius Hecyra:

Aliquid tulisse comminiscentur mali,

Capiti atque aetati illorum morbus qui auctu' sit. Coelius ad Ciceronem: *Te ad* IX. *kal. Iun. sub rostrani, quod illorum capiti sit, dissiparant periisse.* Cicero ipse libro XI. Philippicarum: *Accedit Saxa nescio quis, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis. a qua cum sit alienus, suo capiti, saluis nobis, ominetur.* Idem libro IIX. ad Atticum. *Multa, inquam, mala cum dixisset: suo capiti, ut aiunt.* quo quidem loco, quin ad hunc Terentianum Cicero respexerit, mihi dubium non est.

270. Do. Neque ego, neque tu.] *In eodem libro hoc non a Dorione, sed a Phaedria dicitur. Vt sit sensus. Neque ego quidquam efficere potui, neque tu poteris.*

271. Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adiurit comiter;] *Qui legebant, Adiuuerit, non animaduertebant, uersum* ὑπερκοίλιον *fieri. ut autem hic Adiurit, pro Adiuuerit, dictũ est, sic apud Ennium, Adiuro, pro, Adiuuero:*

O Tite, si quid ego adiuro, curam ue leuasso.

ubi uulgo perperam legitur, Adiuto.

274. Nam hanc condicionem si cui tulero extraneo,] *Ita est in antiquis omnibus. alij, Extrario. quam uocem ego quidem Latinam non putabam: sed uideo eam manifesto ab A. Gellio agnosci.*

279. Huic mandes, qui te ad scopulum e tranquillo inferat.] *Nihil addidi, nihil detraxi, nihil*

hil immutaui : ſed, quod in meo uetere libro erat, quia ſine ulla dubitatione uerum putabam, quam potui, fideliſſime expreſſi.

279. Interea amici, quod polliciti ſunt, dabunt:] *Hunc quoque locum e meo illo libro emendaui: cum in alios omnes e gloſſemate aliquo irrepſiſſet uox, Argentum: quae ita deformabat uerſum, ut ualde mirer, ne Goueanum quidem eam ſuſtuliſſe.*

289. - curialis uernula eſt, qui me uocat.] *Hic mihi auxilio fuit uetus Venetus: nam in ceteris omnibus hae omnes uoces deſiderabantur.*

292. Sed hinc concedam in angiportum hunc proximum.] *Ita legendum eſſe, admonet Priſcianus: & ita legitur in meo ſcripto, & in uno Antonianorum.*

292. Heus, quanta quanta haec mea paupertas eſt, tamen] *Ita legendus eſt hic locus ex libro Petri Bembi, & ex libro Bernardini Lauretani.*

294. In ius? enimuero, ſi porro eſſe odioſi pergitis.] *Quid de illo, In ius, faciam, neſcio. nam & uerſum pede uno, quam par eſt, longiorem facit; & tamen neque repetitio illa inuenuſta eſt, & legitur in omnibus antiquis libris.*

296. Vel oculum exculpe: eſt, ubi uos ulciſcar probe.] *Ita emendat Bembus. in omnibus tamen antiquis reperio, ut in impreſſis,*

- eſt, ubi uos ulciſcar, locus.

296. Qui nominat me?] *Ita eſt in libro Lauretani, & in duobus Antonianis, melius, & magis ad antiquorũ cõſuetudinem, quam, ut in alijs, Quis.*

296· - quid nunc obticuisti ?] *In meo, & in uno Antonianorom, pro, Obticuisti, legitur Obstupuisti.*

298· Exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, hem tempus est.] *Ita erat in duobus Antonianis · in alijs, Iam tempus est; sed hoc uersus ratio repudiat.*

299· Sigillatim, qualis in istum fuerim?] *Ita correxi e meo libro, & ex illo Lauretani · nam in alijs erat, Qualis in hunc fuerim: neque ita lepide, & contra rationem metri· Sigillatim, ut pro Singillatim multis locis legatur, errore librariorum factum puto.*



M. ANTONII. MVRETI
IN. HECYRAM. TERENTII
ARGVMENTVM

PAMPHILVS, Phidippi e Sostrata uxore filius, Bacchidem meretricem deperibat. is cum aliquando noctu ad eam temulentus iret, in Philumenam, Lachetis, & Murrhinae filiam, incidit, eamq. in uia per uim compressit: atque ita effugit, ut neque ipse eam, neque puella ipsum cognoscere potuerit. in illa autem lucta etiam anulum ei detraxit, eumque Bacchidi dono dedit. paullo post pater eum, tum ut a meretricio amore auerteret, tum ut praesidium suae senectuti pararet, ad uxorem ducendam perpulit. contigit, ut ea ipsa uxor ei daretur, quam ipse constuprauerat: gaudente admodum puellae matre, quae, quia sola conscia erat filiam e stupro grauidam esse, quamprimum eam collocare properabat; ut, si forte post aliquot menses pareret, nuptijs, quemadmodum saepe fit, obtegeret stuprum: cecidit res longe aliter, ac putabatur. etenim Pamphilum, qui inuitissimus adiecisset animum ad rem uxoriam, quiq. auellere se derepente a Bacchidis amore non posset, ita dormijt cum uxore, ut eam ne attigerit quidem. Bacchis, quod, ea uiua numquam se uxorem ducturum, saepe ei promiserat Pamphilus, nonnullam sibi ab eo factam iniuriam putans, multo eo minus, quam solebat, placida & obsequens esse coepit. eo factū

est, ut Pamphilus ei se paullatim subduxerit, quamq. prius spernebat uxorem, eius mirificum quendam amorem animo conceperit. interea quid dam accidit, ut iter Pamphilo in Imbrum esset. profecto eo, Philumena, quae intumescere sibi uterum sentiret, cum aliorum, tum socrus in primis suae conspectum refugiebat: tandem cum in eo esset, ut celare uix posse amplius uideretur, sumpta occasione, per sacrificandi speciem, ad matrem se, unam omnium rerum consciam, confert. post dies complusculos mittit Sostrata, qui eam accerserent. respondetur, aegrotam esse. it, ut eam saltem uiseret. non admittitur. Phidippus accusare uxorem, & dicere, haec omnia illius culpa contingere. illa contra excusare se, & culpam deprecari: nullius se rei consciam esse, cur sua consuetudo nurui odiosa esse debeat. interea redit Pamphilus. atque ita sors tulit, ut quo die ipse Athenas appulit, eo ipso Philumena partu leuaretur. cum igitur, uidendi cupidus, (aegrotare enim acceperat, & ita amabat, ut qui uehementissime) subito ad eam ingressus esset, peperisse deprehendit. ibi eum Murrhina exeuntem prosecuta, lacrumans, obtestari coepit, quando ea res nihil ipsi nocitura esset; ne reciperet quidem uxorem, si ita uideretur: sed tamen ne famam illius proderet. ita se facturum recipit. cum igitur neque uellet uxorem recipere, neque rursum uerã afferret caussam: suspicati sunt senes, eum, Bacchidis adhuc amore impeditum, ea de caussa ab uxore abhorrere. accersitam itaque

Bacchidem obiurgat Phidippus. ea, cum se illi purgasset, iubetur ad mulieres ingredi; & eis quoque illam suspicionem adimere. ingreditur, anulum habens in digito, quem olim Philumenae ereptum sibi dederat Pamphilus. is anulus effecit, ut, uitiatam esse ab ipso Pamphilo Philumenam, cognosceretur. Laetus Pamphilus & uxorem, & filium recipit.

SCHOLIA

308. Ita me dij bene ament, haud propterea te rogo, ut] *Ita reperio in omnibus antiquis libris. Donatus tamen legit, Amabunt: quod si recipias, aut delenda erit uox, Te; aut non constabit uersus.*

309. Ph. - ah noli, Parmeno:] *Consuetudinem hanc ineptorum hominum, qui flammam ardentem, ut dicitur, in ore potius, quam quidquam secreti, continerent, & tamen simulant, nolle ea, quae sciunt, detegere, atque orari uolunt, festiuissime expressit Lucianus in Conuiuio: cuius uerba, quoniam & leporis plena sunt, & huic Terentij loco plane gemina, adscribere non grauabor. Colloquuntur autem inter se Lucinus, & Philo: e quibus cum Lucinus dixisset,* Ἐγὼ δὲ. ἄπαγε, οὐκ ἄν τι τοιοῦτον εἴποιμι: *ita excipit Philo:* Θρυπτῃ ταῦτα ὦ Λυκῖνε. ἀλλ᾽ οὔτι γε πρὸς ἐμὲ οὕτω ποιεῖν ἐχρῆν. ἀκριβῶς γιγνώσκων, πολὺ πλέον ἐπιθυμοῦντά σε εἰπεῖν, ἢ ἐμὲ ἀκοῦσαι. καί μοι δοκεῖς, εἰ ἀπορήσειας τῶν ἀκουσομένων,

μένων, κἂν πρὸς κίονά τινα, ἢ πρὸς ἀνδριάντα ἡδέως ἂν προσελθὼν ἐκχέαι πάντα συνείρων ἀμυσί. εἰ γοῦν ἐθελήσω ἀπαλλάττεσθαι νῦν, οὐκ ἐάσεις με ἀνήκοον ἀπελθεῖν, ἀλλὰ ἥξεις καὶ παρακολουθήσεις, καὶ δεήσῃ. κἀγὼ τεύψομαι πρὸς σὲ ἐν τῷ μέρει. καὶ, εἴγε δοκεῖ, ἀπίωμεν, ἄλλου αὐτὰ πευσόμενοι. σὺ δὲ μὴ λέγε. Λυ. Μηδὲν πρὸς ὀργὴν, διηγήσομαι γὰρ, ἐπείπερ οὕτω προθυμῇ. ἀλλ᾽ ὅπως μὴ πρὸς πολλοὺς ἐρεῖς. Φι. Ει μὴ παντάπασιν ἐγὼ ἐπιλέλησμαι Λυκίνου, αὐτὸς σὺ ἄμεινον ποιήσεις αὐτὸ, καὶ φθάσεις εἰπὼν ἅπασιν, ὥστε οὐδὲν ἐμοῦ δεήσῃ.

317. Edepol ne nos aeque sumus omnes inuisae uiris,] *Duas uoces, Inique, & Omnino, quae in alijs erant, eo sustuli, quod neque erant in ullo uetere libro, & corrumpebant uersum. huic autem querellae, qua utitur Sostrata, affinis est illa Creusae apud Euripidem Ione :*

Τὰ γὰρ γυναικῶν δυσχερῆ πρὸς ἄρσενας,
Κ᾽ ἂν ταῖς κακαῖσιν αἱ ᾽γαθαὶ μεμιγμέναι,
Μισούμεθ᾽. οὕτω δυσχερεῖς πεφύκαμεν.

322. SO. Quid ais ? an uenit Pamphilus ? PAR. uenit. SO. dijs gratiam habeo :] *Ita emendaui ex uno Antonianorum. nam, quo modo erat in ceteris, Dijs habeo gratias, uersus efficiebatur acatalecticus, quem catalecticum esse, ut ceteros, multo uerisimilius est.*

324. Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni, atque humiles, sumus.] *Eandem nimirum habent sententiam uersus illi, quos pronunciat Vlysses* Οδυσ. σ. *etsi eos, qui philosophantur, alio trahunt.*

Τοῖος γὰρ νόος ἐσὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

337. Quod faciendum fortasse sit postidea, hoc nunc si feceris.] *Ita est in quibusdam ueterum. alij, ignoratione antiquae uocis, fecere, Post, idem.*

342. Iam aetate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequom :] *Mihi peccato, idest, mihi si quid peccauerim. nam, ut iuratus est, qui iurauit, ita peccatus, hoc quidem loco, qui peccauit, idest,* ὁ ἡμαρτηκός. *similiter locutus est Quinctilianus libro* VI. *Qui uero iudicem rapere, & in quem uellet habitum animi posset perducere, quo dicto, flendum, & irascendum esset, rarius fuit. ibi enim, Quo dicto, ualet,* οὗ λέξαντος.

352. - equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem umquam.] *Sententia Plautina ex Captiuis :*

- saepe iam in multis locis
Plus insciens quis fecit, quam sciens, boni.

DE. METRIS. TERENTIANIS

TERENTII *uersus duorum generum sunt; iambici, & trochaici. neque autem iambus in trochaicum, neque trochaeus in iambicum admittitur. Iambicus initio fiebat e solis iambis, ut,*

Quid hoc noui est? quid ira nunciat deum?

& apud Terentium; si modo ita legendum est,

Amantium irae amoris integratio est.

Terentianus ait, eos in tragoedijs, propter nimiam ipsorum leuitatem, culpari. ego tamen Graecos poetas saepe admodum usos reperio. ut Sophoclem:

πάλαι κυνηγετοῦντα, καὶ μετρούμενον.
ἔτ᾽ ἔργον ἐστίν, ἐννέπειν δ᾽ οὔτις χάριν.
οὔτ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλον, ἐμπιτνῶν, στρατηλατῶν.

& Aeschylum:

ἐγὼ δ᾽ ἄτολμός εἰμι συγγενῆ θεόν.
ἅπας δὲ τραχὺς, ὅστις ἂν νέον κρατῇ.

& Euripidem:

ἐκεῖθέν εἰμι. παῖς ἔτ᾽ οὖσ᾽ ἀπωλόμην.
ὄλωλεν, ὡς ὄλωλε τοῖσιν εἰδόσιν.

Postea admissus est alternis spondeus, & omnes pedes, qui illi temporibus sunt aequales: in quibus est & proceleumaticus. tribrachus etiam, quod iambo temporibus par est, recipitur. creticus, quamuis uno tēpore longior, tamen ipse quoque receptus est.

Iambici integri, ideſt, ἀκαταλήκτικοῦ, ſemper ultimus pes eſt iambus. nam claudi uerſus, ideſt σκάζοντες, an in Plauto ſint, alio loco uiderimus: in Terentio quidem non ſunt. ne in Graecis quidem aut comicis, aut tragicis uſquam: itaque qui locum illum ex Aeſchylo ita ſcripſerunt,

ἵν' οὔτε φωνὴν, οὔτέ τȣ βροτῶν μορφὴν,

& illum, & alios plurimos, dum corrigere uolũt, deprauarunt. recte enim erat in Aldinis:

ἵν' οὔτε φωνὴν, οὔτέ τȣ μορφὴν βροτῶν.

Vltimus igitur ſemper iambus eſt. ceteris locis magna libertas. non tantum enim iambus, & tribrachus, uerum & ſpondeus, & omnes ſpondeo temporibus pares quolibet alio loco, a Latinis quidem comicis, tragicisq. ueteribus, ſine ullo diſcrimine ponuntur. creticum & proceleumaticum raro quidem, ſed nonnumquam tamen inuenias. iambicorum autem haec fere diſcrimina ſunt. dimeter catalecticus:

Date. mox ego huc reuertar.

dimeter acatalecticus:

Verebar, quorſum euaderet.

trimeter acatalecticus:

Poeta cum primũ animũ ad ſcribendũ appulit.

tetrameter, ſiue quadratus catalecticus:

Satis pol proterue me Syri promiſſa huc induxerunt.

tetrameter, ſiue quadratus acatalecticus:

Nihil eſt. triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.

tetra-

tetramuter, ſiue quadratus hypercatalecticus:

Atque eius amicam ſubagitare: uel heri in uino quam immodeſtus.

Qui pentametros iambicos faciunt, nugantur. itaque hic quoque locus in Aeſchilo deprauatus:

θνητοῖσ' κλέψας ὤπασεν, τοῖασδ'

erat enim recte in Aldinis:

θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν, τοῖας δέ τοι.


Trochaicorum apud Terentium haec fere ratio. trocheus quolibet loco ponitur: ut in iambico iambus. praeter iambum, proceleumaticum, creticum, admittuntur ijdem omnes pedes, qui in iambicum. trochaicis autem utitur fere octonarijs, ſiue quadratis catalecticis:


Quidquid ego huius feci, tibi proſpexi, & ſtultitiae tuae.
Vbi te uidi animo eſſe omiſſo, & ſuauia in praeſentia
Quae eſſent, prima habere, neque proſpicere in longitudinem:
Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut haec poſſes perdere.


interdum autem apud hunc poetam ultima praecedentis uerſus ſyllaba principium eſt inſequentis.


Atque ita de Terentij uerſibus breuiter a nobis diſputatum ſit.


FINIS













15.